UPSALA UNIVERSITETS ÅRSSKRIFT 1878.

FILOSOFI, SPRÅKVETENSKAP OCH HISTORISKA VETENSKAPER III.

STUDIA CRITICA

IN

PAPINIUM STATIUM.

SCRIPSIT

C. E. SANDSTRÖM.

UPSALA.
AKADEMISKA BOKHANDELN.
(C. J. LUNDSTRÖM.)

STUDIA CRITICA

IN

PAPINIUM STATIUM.

SCRIPSIT

C. E. SANDSTRÖM.

Upsala Universitets Årsskrift 1878.

Filosofi, Språkvetenskap och Historiska Vetenskaper. III.

UPSALIAE MDCCCLXXVIII.
TYPIS DESCRIPSIT ESAIAS EDQUIST.

Studia Critica in Papinium Statium.

Scripsit

C. E. Sandström.

Præfatio.

Quoniam, quæ in critica Statiana summa virorum doctorum cernitur differentia, ea ex diversa poetæ ipsius æstimatione maxime pendet; in qua ita inter sese discedunt, ut alii nihil indignum Papinio ideoque in codicum auctoritate plerumque acquiescendum, alii non ita male de poeta, pessime autem de libris manuscriptis existiment: necessarium videtur, ne prorsus imparati legentes ad emendandi meos conatus accedant, quas ipse rationes in hac re secutus sim, breviter exponere.

Hoc igitur primum Statio tribuo, quod nisi ab initio tribuissem, ne minimum quidem operæ in carminibus ejus tractandis collocassem, ut nihil eum prorsus inane absurdumve, nihil sententiæ suæ directo contrarium, nihil rerum naturæ manifeste repugnans dixisse, id est, ut sana mente fuisse easdemque quas ceteros homines cogitandi leges secutum esse contendam. Quod ut in alio quovis scriptore ita diserte ponere supervacaneum erat, ita in hoc non sine causa a nobis poni, qui libellum meum perlegerint, facile agnoscent.

Deinde et latine locutum esse arbitror et ita aperte, ut etiam sine interprete intelligi posset. Quamquam in sermone quidem ejus dijudicando magna adhibenda cautio est, ne, si quid insolentius aut plane novo more dictum offenderimus, statim tamquam vitiosum ac barbarum removere conemur. Nam novas aliquot et structuras verborum et significationes apud eum inveniri certissimum est, præterquam quod verba etiam nonnulla vel primus usurpavit vel solus; neque desunt loci ita suspectæ latinitatis, ut tutius judicium nostrum prolatemus, non

totum latinarum litterarum corpus, sed partes tantummodo et quasi membra ad nostram ætatem pervenisse recordantes. Verum enimvero, quæ ita comparatæ vel structuræ vel locutiones sunt, ut eas non modo nullum exemplum, sed ne similitudo quidem ulla tueatur, quæque non modo ab usu et consuetudine, sed etiam ab ingenio naturaque sermonis abhorrent, eæ sine ulla dubitatione explodendæ rejiciendæque sunt, neque, si vel pertinacissime emendatrici manui restiterint, id iis ad jus latinitatis obtinendum prodesse oportet. Obscuritatis vero infamia, qua magna sane Statius laborat, ea sine dubio ex iis, maxime silvarum, locis exorta est, quos, quum corrupti essent, explicare tamen quam emendare docti viri maluerunt. Certe in Achilleide et Thebaide, ubi et multos codices et bonos habemus, nihilo sæpius quam in alio quovis carmine peritus poeticæ dictionis lector hærebit; unde etiam interpretes, in Silvis tantopere desudantes, quum ad hæc carmina perventum est, otio fruuntur altissimo, aut, si quid laboris habent, id in rebus, non in verbis illustrandis habent. Et quemadmodum ceteris scriptoribus, ita sane Statio quoque potuit accidere, ut minus perspicue nonnumquam quod vellet, præsertim festinans, exprimeret: omnino tenebrosa et ænigmatum simili oratione delectatum fuisse nihil invenio cur putem.

Jam vero poeta qualis sit, utrum tam bonus quam Marklando videtur, qui, quamdiu eruditioni, candori, benevolentiæ et humanitati suus mansurus sit honor, tamdiu cordatis hominibus gratum eum futurum esse prædicit, an pessimus et ex omni parte contemnendus et qualem nuper in adversariis breviter descripsit Madvigius: eam quæstionem pertractare non hujus temporis est; sufficiet proposito nostro, quæ in hac tanta dissensione tamen omnibus vera videri debent, ad quæ sola vel maxime censuram dreximus nostram, proponere. Nam et qui plurimum Statio delectantur, tamen suum quendam colorem, suam dicendi proprietatem eum habere et ab illa laudabili norma, quam Augusti ætate optimus quisque poeta secutus est, haud parum deflexisse concedunt; et qui acerbissime reprehendunt, quoniam non omnia ei vitia, sed certum quoddam genus objectant, ut verborum sententiarumque tumorem, figurarum quum crebritatem tum etiam licentiam, affectatam denique et longius arcessitam elocutionem, hæc ipsa, inquam, objicientes contrario vitiorum genere absolvunt. Quamobrem, ut multa, quæ in Horatio aut Vergilio tamquam corrupta atque inflata vehementer offenderent, in Statio recte feruntur neque ullam mendi suspicionem movent, ita ne in hoc quidem, quæ a toto genere ejus abhorrent et ad vulgarem potius inornatamque et humi repentem orationem pertinent, nimis patienter tolerari debent.

In hoc autem genere ipso, quo natura et judicio inclinare videtur, quousque progredi potuerit, sane difficile est dijudicatu: sed hic quoque, ni fallor, inveniet viam, qui Statianæ orationis indolem penitus habebit perceptam et præterea illud meminerit, ejus ætatis hominibus in honore Statium fuisse, cujus de judicio atque doctrina ne nimis male existimemus, Quintiliani et Taciti nomine prohibemur.

De doctrina Statii et religione in scribendo novum plane et, ut opinor, minime probandum judicium novissimus ejus editor tulit Æ. Baehrensius, qui in præfatione editionis suæ difficilem illum in ecloga ad Claudiam uxorem attingens locum:

Heu ubi nota fides totque explorata per usus,
Qua veteres Latias Graiasque heroidas æquas!
Isset ad Iliacas — quid enim deterret amantes? —
Penelope gavisa domos, si passus Ulixes.
Questa est Ægiale, questa est Meliboea relinqui,
Et quamquam sævi fecerunt mænada planctus.
Nec minor his tu nosse fidem firmamque maritis
Reddere. (Silv. III, v. 44—51).

postquam recte animadvertit Ægialen pro conjugalis amoris specimine nequaquam poni posse, Meliboea autem quæ fuerit, prorsus ignotum nobis esse, ita difficultatem expedivit, ut mera nomina hic posuisse nominibusque imponere voluisse poetam statueret. Miror doctissimo viro, qui ceteroquin egregie Statianæ poeseos rationes explicavit, tale aliquid excidere potuisse. Quid enim? Adeone eorum, qui lecturi erant, despicientem, adeone de existimatione sua securum Statium fuisse censemus, qui tamen, ut Baehrensius ipse concedit, et cultioribus hominibus scribebat et obtrectatoribus non caruisse videtur vel minimam carpendi occasionem arrepturis avidissime? Tam reconditæ doctrinæ erat Ægialæ fabulam nosse? Tam difficile ex ipso, quæ tandem illa Meliboea esset, exquirere? Tam vel indoctus vel obliviosus fuit, ut fidæ uxoris, quæ Troicis temporibus fuisset, nomen quærenti non statim Laodamiæ occurreret? Aut tam duri ingenii poeta, ut, si invenisset, versu nequiret includere? Nihil usquam video, quod non istam opinionem oppugnet, vel, si cetera hujus loci recte sese haberent, explodendam, nunc quum, ut Marklandus probavit, corruptissima sunt, multo magis. Nam quod nuper excogitarunt *quamquam* pro *quamcunque* hic esse accipiendum, primum nemo umquam latinus scriptor, nisi forte Nævius aut Andronicus, ita locutus est, nimirum ne ambigua fieret oratio; tum, etiamsi ita accipi posse largiamur, quæ tandem sunt omnes illæ, quæ sævis planctibus mænades factæ

esse dicuntur? Solent poetæ mulieres luctu insanientes mænadum comparatione describere; luctu mænades factas esse nemo narravit. At illud ipsum voluit et *mænades factæ sunt* idem est ac si dixisset *mænadum ritu furuerunt*. Novum igitur vitium deprehendimus. Quæ est enim ista tam absurda et inficeta orationis conformatio? Quis umquam isto modo exemplorum enumerationem conclusit: *sic et hæc et illa fecit et quæcunque maxime fecit?* Nobis quidem duæ tantum hujus nodi solvendi reperiuntur viæ, ut versus 48—49 aut spurios esse aut pessime corruptos judicemus. Si corruptos esse statuimus, si vere Ægialen poeta nominavit, necessario huic alteram similis infamiæ adjunxit et posteriore versu, cur has quoque induceret, explicationem aliquam dedit. Quod, ut alias rationes omittam, vel in hunc modum fieri poterat: *relinqui tum dolebant, quamquam postea sævæ factæ sunt*, vel ita: *illæ quoque relinqui dolebant, quamquam a poetis sævæ fuisse narrantur*, Atque in hanc posteriorem sententiam ita temptavi:

Questa est Ægiale, questa est *Ledæa* relinqui,
Tot quamquam *sæva finxerunt mente poetæ*,

si modo *Ledæa*, quod nomen apud alios Helenæ tantum datur, hic pro Clytæmnestra accipi potest. *Sæva* autem *mente finxerunt*, ut *fuisse eas* audiatur, eadem brevitate dixit qua Vergilius Æn. XII, 218:

At vero Rutulis impar ea pugna videri
Jamdudum et vario misceri pectora motu,
Tum magis, ut propius *cernunt non viribus æquis*.

Ubi similiter et pronomen et verbum substantivum tacite supplenda sunt. Sin autem spurios hos versus esse judicamus, pro *his* v. 50 *hac* erit scribendum, ut ad Penelopen referatur. Et optime quidem ita procedet oratio: nisi quod neque quo casu indoctus interpolator in Ægialæ nomen inciderit neque quo consilio doctus absurdum illum qui sequitur versum procuderit, facile quisquam explicarit. Verum utcunque de hoc loco statuimus, ita ut nunc scribitur, a Statio non esse profectum ob eamque causam, quod inde Baehrensius concludit, concludi non posse certissimum est.

Quod vero idem dicit neglegentius in fabulis Statium versari atque etiam festinantia lapsum errores in hoc genere commisisse manifestos, id et facile fieri potuisse et uno alterove loco factum esse concedo. Quamquam quod hujus incuriæ ponit exemplum ex carmine in equum maximum Domitiani:

Hunc neque discissis cepissent Pergama muris

Nec grege permixto pueri innuptæque puellæ,
Ipse nec Æneas nec magnus duceret Hector.

ubi reprehenditur Statius, quod vivum Hectorem, quo tempore equus Trojanus in urbem invehebatur, induxisse videtur, id si non apud Statium, sed apud Vergilium legeretur, minime dubito quin promptam et paratam haberet defensionem continuoque enarratores omnes, ut suo jure facere possent, *Hectorem, si tum vixisset* interpretarentur. Atque omnino festinantia illa, quam frequenter in præfationibus commemorat Statius, ne plus justo ad orationis præsertim vitia toleranda moveamur, magnopere cavendum est; neque enim omnes eclogæ illam celeritatis et subitæ scriptionis habent excusationem — epicedia, quæ in Priscillam et in patrem suum edidit, toto anno post mortes ipsas composuerat — et si hæc carmina cum eo comparabimus, quod quum plus ducentorum versuum esset, biduo scriptum esse ipse testatur, epithalamio Stellæ et Violantillæ, non sane plures in hoc quam in illis reperiemus difficultates.

Ita de arte, sermone, sanitate Statii judicans — ut vel ob eam Statianorum carminum partem, cujus sinceritatem multitudo et bonitas codicum præstat, vel ob litterarum quæ illis ipsis temporibus erat conditionem universam recte judicare mihi videbar — ita, inquam, existimans quum ad Silvas me recognoscendas emendandasque conferrem et judicium illud traditæ scripturæ tamquam regulam applicarem, magis magisque in eam opinionem adductus sum, quamquam semper illa satis depravata habita esset, tamen multo quam putaretur depravatiorem esse, non modo ut mendosi loci plures exstarent quam qui essent a criticis deprehensi, sed etiam ut ii, in quibus opera eorum jam esset versata, multo graviore, quam illi putavissent, corruptela laborarent. Quod verum esse quamquam multifariam in hoc opusculo demonstrare conabor, tamen ut jam nunc, quam penitus adfecta et ulcerata vulgata scriptura sit, illustri exemplo ante oculos ponatur, considerent mecum legentes velim hunc ex consolatione ad Claudium Etruscum locum: cujus ut emendatio perquam lubrica et incerta, ita vitia et magna et certissima sunt:

Præcipuus sed enim meritos subvexit in actus
Nondum stelligerum senior dimissus in axem
Claudius et longo transmisit habere nepoti.
Quis superos metuens pariter tot templa, tot aras
Promeruisse datur? Silv. III, III, 76—80.)

Sic vulgo edunt neque codices variant, nisi quod in omnibus non *dimissus*, sed *demissus* legitur. Hic primum, quod post Marklandum

probare supervacaneum est, absurdissimum illud *longo nepoti* pro *Neroni* neque ullo artificio defendendum. Deinde in sequenti versu non modo *superos metuens* pro *sacerdote* dici non potest — neque multo melius *superum famulus*, quod Baehrensius, vel *superis parens*, quod Marklandus, uterque qua par erat diffidentia, proposuit — sed etiam quod est *pariter*, in quo nemo offendit, ab hujus loci sententia prorsus alienum, quoniam senior Etruscus non *pariter* omnes illos imperatores, sed deinceps alium post alium promeruerat. Accedit illud *datur*, ut non vitiosum, ita mirifice languidum: accedit versus ipse, tria anapæstica verba continuans, qualis, ut opinor, apud ipsum Statium vix alter exstat; quorum utrumque, quamquam per se levius est, tamen cum ceteris conjunctum valere nonnihil debet. Jam vero versum 77 videamus, quem, postquam *demissus* in *dimissus* correxerunt, continuo optime se habere editores putant. Quid est igitur *subvexit nondum in coelum dimissus Claudius?* Quam insulsa et ambigua locutio, si hoc tantum voluit poeta: *subvexit olim in coelum escensurus Claudius? Subvexit nondum dimissus*, quasi verendum esset, ne a consecrato jam imperatore promotum esse Etruscum putaremus. Sin *nondum senior dimissus* conjungas, neque, quam grandis natu Claudius obierit, hic quicquam ad rem et tam provectus ætate decessit, ut senior rectissime dici posset. Atque hæc in singulis verbis vitiosa: illud ad universam sententiam pertinet. Inceperat poeta totum quasi curriculum Etrusci inde ab initiis ejus exponere: nominaverat Tiberium, Caligulam, Claudium: cur hic subito consistit, cur non ad Flaviam gentem illam seriem perducit, cum in horum aula fuisse, ut nullam adulandi occasionem dimittit, pro maxima gloria commemorare deberet? Atqui novissimos denique imperatores si vel nomine vel descriptione aliqua addidisset, apta erat concludens illa de dominorum, qui templis arisque colerentur, multitudine sententia; quæ nunc, nondum illa enumeratione finita, ineptissime inculcatur. Hinc efficitur hanc poetæ sententiam fuisse: "in meritos honores Claudius evexit, qui per longam interjectorum principum seriem Flaviæ genti transmisit." Deinde epiphonemate ad conclusionem transitur: *tot templa, tot aras promeruisse datur.* Neque temere a Claudio potissimum Flaviæ genti transmissus Etruscus dicitur, vel quod is primus in meritum fastigium extulit vel quod ejus memoriam præcipue gratam Vespasianus et filii ejus habuerunt. Sed quo melius perspiciatur, quomodo conformatum a poeta hunc locum putem, iterum vulgatam exscribam, pro *longo* id quod est *longe* reponens interpunctionemque commutans, tum, quæ falsa vel suspecta videntur, inclinatis literis notans:

Præcipuus sed enim meritos subvexit in actus
Nondum stelligerum *senior dimissus* in axem
Claudius et longe transmisit habere, *nepoti*
Quis *superos metuens pariter:* tot templa, tot aras
Promeruisse datur.

Nam illud *quis* verum esse puto: quod etiam, quum per interrogationem captum esset, ansam hujus tantæ corruptelæ præbuisse verisimile est. Jam, si arctioribus finibus circumscribere sententiam conamur, quoniam ex verbis *stelligerum axem* de consecratione imperatoris agi apparet, *nondum* autem neque ad id tempus, quum Etruscum promovit, neque ad id, quum ipse decessit, referri posse ostendimus, sequitur, ut poeta aliquid significaverit, quod eo ipso tempore, quum hæc scribebat, nondum in consecrato Claudio factum esset. Hoc porro non ignominiæ causa dixisse certissimum est, quoniam, ut modo animadvertimus, in honore Flaviæ genti semper fuerat divus Claudius. Restat, ut nihil aliud eum voluisse statuamus quam Flaviorum cum adulatione conjunctam descriptionem præparare, ut, quod in Claudio consecrato nondum factum esset, id quibus principibus jam pridem contigisset, eis Etruscum a Claudio transmissum significaverit. Quid autem illud sit, quo præstare Claudio Vespasianus ac Titus dicuntur, de ea re quam suspicionem habeamus, tum quum ad hunc ipsum locum instituto ordine pervenerimus, exponetur.

Tales locos, qui multi in Silvis extant, sine graviore mutatione plene restitui non posse et eos, qui nisi lenibus remediis in Statio agendum non putant, vehementer errare satis per se ipsum perspicuum est. Auget vero periculum emendandi et difficultatem, quod in his carminibus non modo negligentia librariorum ac stupor, verum etiam correctoris cujusdam audacia grassata esse videtur, ut, quæ primum simplici oculorum manusque errore exstiterint menda, ea maximam partem non jam nuda atque aperta, sed perversæ correctionis tamquam crusta quadam obducta reperiantur. Neque enim aliter, unde ingens illa gravissimarum corruptelarum multitudo nata sit, intelligere possum, quam si statuerim exemplar illud, ex quo Sangallensis primum, per hunc deinde omnes, qui etiamnum exstant, Silvarum codices fluxerunt, a semidocto confectum librario, qui quum et ipse librum sequeretur male et negligenter exaratum et fortasse etiam vetustate adfectum, ut evanescentibus litteris extrema versuum et initia nonnumquam vix percipi possent, ita pro suo captu corrigendo supplendoque negotium gesserit, ut, modo latina verba et aliquam rectæ structuræ speciem efficeret, de re ipsa et sententia

plerumque minime sollicitus esset. Cujus quidem infelici sedulitate quemadmodum non ita raro pro uno quod erat vitio duo vel plura invecta sint, hoc optime illustrabit exemplum: quo posito ad disputationem ipsam legentes dimittam. Silv. II, II, v. 93 ita in omnibus codicibus concipitur:

Hic Nomadum lucent flaventia *saxa Thasosque*
Et Chios et gaudens fluctus spectare Carystos.

Ubi neque de sententia dubium est — manifesto enim color marinus Carystici marmoris significatur, quemadmodum alio loco (S. I, V, 34) *undosam Caryston*, alio (S. IV, II, 28) *glaucæ Doridi certantia saxa* appellat — neque quod nunc legitur *spectare* — pace Imhofii dixerim — ullo pacto defendi potest. Quæ vero proposuit Salmasius, *fluctu certare* vel *fluctus æquare*, eorum ut utrumque sententiæ aptum, ita neutrum a litterarum ductibus probabile est. Atqui præter hæc duo — si modo cetera recte se habere censemus — quod apte restitui possit nihil in tota latinitate exstare contendo. Ita in perpetuum inter aperte mendosam vulgatam et conjecturam aperte improbabilem erit errandum. At si ita ab initio scriptum fuisse statuimus:

Et Chios et *glaucos* fluctus *victura* Carystos,

gravior quidem erit mutatio, non tamen sine ratione et probabilitate. Nam *victura s* littera ex præcedente voce adsumta in *spectare* transire facile potuit: tum librarius ille, quum ita scriptum invenisset *glaucos fluctus spectare*, ut infinitivus quo referretur haberet, pro *glaucos* id quod est *gaudens* substituit. Atque quod hic videmus, inter veram scripturam (*glaucos*) et interpolatam (*gaudens*) litterarum aliquam similitudinem intercedere, id in ceteris quoque locis, ubi ejusdem correctoris manus deprehenditur, animadverti licet. — Præterea de forma verbi *victura* conferenda sunt, quæ de usu participii futuri ad S. II, II, 9 disputavi.

Silvarum Liber I.

Præfatio.

Quid enim oportet me hujus quoque auctoritate editionis onerari, quo adhuc pro Thebaide mea, quamvis me reliquerit, timeo?

Verba oportet hujus supplevit Domitius. Quo codicum omnium scriptura est: pro quo Domitius *quod*, Marklandus *quum*, novissimus editor *qui* vel *quoad*, sed cum dubitationis significatione proposuit. Quorum primum illud, quod frusta ita Handius defendit, ut pro eo quod est *quamquam* accipi velit, sinc dubio omnium pessimum: posteriora tria tolerabilia fere sunt, nullum tamen ejusmodi, quo sententiæ plane satisfiat. Unde in suspicionem adducor veram esse codicum scripturam, contra vitium in iis quæ Domitius supplevit latere. Certius est verba quamvis me reliquerit, quæ item in omnibus codicibus leguntur, corruptelam aliquam traxisse. Nam quod idem Handius relinquendi verbum hic recondita aliqua vi positum esse contendit, ut perfecti et absoluti operis notio sponte nascatur, quasi dixerit poeta: "quamvis limata et perfecta illa me reliquerit", ea vero significatio plane aliena ab hoc verbo videtur. Relinquit enim auctorem quodcumque ab eo dimittitur, neque minus relinquit si malum quam bonum, si inchoatum quam absolutum: perfecti autem operis notio, sicubi cum hoc verbo conjuncta invenitur, ex iis, quæ adduntur, exoritur: ut in eo ipso, quod unum affert, exemplo, quod proximi carminis initio legitur:

Siculis an conformata caminis
Effigies lassum Steropem Brontenque reliquit?

ubi artificii laus omnis artificum ipsorum nominibus adjuncta etiam lassitudinis eorum mentione continetur. Hac autem Handii ratione

explosa nulla hujus loci probabilis explicatio est. Quare vide, ne ita commodius scribatur: Quid enim? *satisne mihi tutum eo tempore hujus* quoque auctoritate editionis onerari, quo adhuc pro Thebaide mea, *qua avi* me reliquerit, timeo?

Ibd. Ceterum hos versus, quos in equum maximum feci, indulgentissimo imperatori postero die quam dedicaverat opus tradere jussus sum.

Jussus est a quo? Deinde quid jussu opus fuit? Non eo ipso consilio fecerat, ut traderet? Præterea vis omnis argumenti ex eo pendet, quo die tradiderit, non quo die tradere jussus sit. Vix dubito quin a Statio scriptum fuerit: *tradere ausus sum*, quod ei quæ præcedit indulgentissimi imperatoris appellationi optime convenit.

Ibd. Respondebis illi tu, Stella carissime, qui epithalamion tuum quod mihi injunxeras scis biduo scriptum. Audacter mehercles; sed tamen tantum non CCC hexametros habet. sic Baehr.

In hac scriptura quid sed particula sibi velit, parum intelligitur. Immo quo plures versus, eo major audacia. Aut igitur illud audacter corruptum rescribendumque fortasse erit *abjecte* quod apud Gellium eadem qua negligenter significatione invenitur; aut una litterula ejecta distinctio in hunc modum corrigenda: *Respondebis — scriptum — audacter mehercles! — et tamen* cett., ut versuum multitudo non audaciæ poetæ, sed augustiæ temporis opponatur.

Ibd. In fine sunt Kalendæ Decembres, quibus utique creditur: noctem enim illam felicissimam et voluptatibus publicis inexpertam.

Sic codices non ad finem perducta sententia. Vulgo *habent* post felicissimam inseritur: Bæhrensius post inexpertam *celebrant. vale.* addidit. Verum subito illud carmen effusum esse non eo probatur, quod illam felicissimam noctem continet vel celebrat: nisi forte postridie harum ipsarum calendarum editum hunc primum librum esse statuimus. Quod ut fieri potuit, ita, cur factum esse credamus, nihil sane exstat. Apparet præter verbum sententiæ alia quoque nonnulla excidisse, quæ quum restitui certo non possint, tutius editores lacunam tantummodo significabunt.

I. Equus maximus Domitiani.

v. 22.

Hinc obvia limina pandit,
Qui fessus bellis adscitæ munere prolis
Primus iter nostris ostendit in æthera divis.

Inepte *fessum bellis* C. Julium Cæsarem dici ab omnibus sani judicii interpretibus conceditur. Sed etiam, quæ sequuntur, ut mea quidem opinio fert, parum commode se habent. Nam et illud offendit, quod Augusti potissimum munus et beneficium in ejus consecratione commemoratur, qui, ut Suetonii verbis utar, non tam ore decernentium, quam vulgi persuasione in deorum numerum relatus erat; et, si verba *adscitæ munere prolis* cum sequentibus, ut in hac quidem scriptura necessarium est, conjungimus, non modo productius membrum et tardius quam pro Statiana consuetudine existit, sed etiam sententiæ ipsius vis et elegantia corrumpitur; quoniam, si quis ab alio missus in coelum escendit, non magis ipse quam qui mittit primus consecrationis exemplum imbuere dici potest. Quamobrem nullam equidem verborum *fessus bellis* emendationem veram habebo, nisi qua efficietur, ut illa *adscitæ munere prolis* non ad sequentia, sed ad priora referantur. Conjicio:

Hinc obvia limina pandit,
Qui *visus populis* adscitæ munere prolis
Primus iter nostris ostendit ad æthera divis.

Significat poeta stellam illam, quæ ludis, quos Cæsari consecratos heres Augustus edebat, apparuit vulgoque Cæsaris in coelum recepti anima esse credita est. Suet. Julius Cæsar, LXXXVIII.

v. 25.

Discitur e vultu, quantum tu mitior armis;
Qui nec in externos facilis sævire furores
Das Cattis Dacisque fidem.

Potest ex vultu alicujus disci, quanto is alio mitior sit; verum quanto mitior armis, vultu qui indicari potest? Scribendum est:

Discitur e *titulo*, quantum tu mitior armis;
Qui nec in externos facilis sævire furores
Das Cattis Dacisque fidem.

Nimirum hoc ipsum: Cattis Dacisque Domitianum pacem concessisse: pro titulo in basi operis erat inscriptum; et enuntiatio relativa, quæ

in vulgata lectione minus apte cum prioribus cohærebat, jam explicandi causa eleganter adjungitur.

v. 27.

Te signa ferente
Et minor in leges iret gener et Cato pacis.

Quæ in hoc loco aut interpretando aut emendando viri docti tentarunt, omnia enumerare neque libet neque attinet. Optime vel dicam minime male Baehrensio res successit, qui, quum ita edidit:

Te signa ferente
Et minor in leges iret gener et Cato *pacis*,

si nihil aliud, saltem latinum sermonem et sententiam tolerabilem effecit. Neque enim ita conjecturam ejus probo, ut in ea acquiescendum putem. Nam et collocatio verborum satis, ut mihi quidem videtur, insuavis et oratio ipsa nulla certa locorum aut temporum significatione distincta miserum in modum, ut in poeta, exilis et arida. Accedit etiam ex verbo *minor* obscuritas quædam. Quod qui pro eo quod est *victus* hic accipi volunt, non attendunt minorem quidem esse, qui victus sit, non tamen, qui minor, ideo statim victum: ut in dubio relinquatur, victine Pompejus et Cato an nullo adhuc proelio facto humiles tantum et summissi ad pacem faciendam fuerint venturi. Atqui necessaria victoriæ reportatæ mentio videtur, quoniam Domitiani clementiam non omnem, sed quæ in victoria temperanda appareret, hoc loco illustrat poeta. Hæ fere causæ sunt, cur rejicienda Baehrensiana conjectura videatur. Ipse tentavi mutatione traditarum litterarum admodum illa quidem magna — est enim hic locus ex eis, de quibus in proemio diximus, graviter adfectis et nisi fortioribus remediis non sanandis — non tamen, ut opinor, prorsus improbabili:

Te signa ferente
Haud minor *ad Lagos* iret gener *aut* Cato *Syrtes.*

"Si tu signa Cæsaris ferres", ait poeta "non aut Pompejus Lageæ aulæ perfidiam aut Cato Syrtium tempestates potius subisset quam ut tuam fidem misericordiamque experirentur." Plurali numero *Lagos* offendi non debet, quoniam regia tum domus Ægyptiorum præter regem ipsum etiam sororem ejus Cleopatram continebat. — Ceterum *Lagos*, non *leges*, *Syrtes*, non *castris* ab Statio profectum pæne certum habeo; de initio versus non item mihi constat. Fortasse enim vel ita scriptum erat:

Te signa ferente

Hæmonia, ad Lagos iret gener *aut* Cato *Syrtes?*

ut *Hæmonia signa* eodem modo appellet quo *ferrum Emathium* Lucanus:

Fortuna cuncta tenentur

Cæsaris: Emathium sparsit victoria ferrum. (IX, 245)

vel etiam, quo maxime inclinat animus, pro *et minor* poeta *haud reor* reliquit.

v. 54.

Hic domini numquam mutabit habenas

Perpetuus frenis atque uni serviet astro.

Locutio *perpetuus frenis* num, quod sententia requirit, *semper eadem frena gerens* significare possit, vehementer dubito. Repono mutatione fere nulla:

Hic domini numquam mutabit habenas:

Perpetuum his frenis atque uni serviet astro.

v. 81.

Quod si te nostra tulissent

Sæcula, temptasses me non audente profundo

Ire lacu; sed Roma tuas tenuisset habenas.

Verba *me non audente*, si eam, quæ prima occurrit, interpretationem sequare, ut sit, "si ego non ausus essem", indecora esse statim apparet, quoniam Domitiani virtutem supra suam extollere, non infra deprimere debebat Curtius. Quod vero alii decori rationem magis habentes ita accipi volunt "quum ego me offerre veritus essem, quod te unum tam pulchra morte dignum putarem", ut omittam satis miram illam verecundiam inferri ac nescio an principibus parum gratam futuram, si, quotienscumque pro patria oppetendum esset, ipsis statim ab omnibus ea gloria deferretur, incredibile est, si hoc voluisset poeta, tam obscure, tam languide expressurum fuisse. Atqui quid sententia poscat, dubium non est. Neque enim aliter Domitianus Curtium superare potuisset nisi ita, ut *ante* Curtium ipsum morti se fuerit oblaturus. Scribendum igitur:

Quod si te nostra tulissent

Sæcula, temptasses me *nondum* audente profundo

Ire lacu.

i. e. "prævenisses tu me et quum ego adhuc animum ad mortem obeundam firmarem, tu jam" e. q. s.

v. 64.

Continuus per septem culmina coelo
It fragor et magnæ vincit vaga murmura Romæ.

Coelo præeunte Handio Baehrensius edidit pro eo quod codices exhibent *montes*, quod a versu 59 librariorum errore huc delatum apparet. Malim:

Continuus per septem culmina *ferri*
It fragor cet.

Sic Statius Silv. IV, III, 51 de via munienda:

Hi ferro scopulos trabesque lævant.

v. 100—102.

Apelleæ cuperent te scribere ceræ
Optassetque novo similem te ponere templo
Atticus Elæi senior Jovis.

Verbis *Atticus senior* Phidian parum apte significari omnes fere senserunt. Offendit præterea compositio molesta atque etiam subambigua, quum eo loco illud *Elæi Jovis* inseratur, ut, utrum cum *similem* an *templo* conjungi debeat, dubitari possit. Deinde tota sententia: "Tuam imaginem Phidias novo Elæi Jovis templo ponere voluisset": et languida et longius arcessita. Neque enim Phidias, quum templum Olympiæ ornaret, omnia signa, quæ ob pulchritudinem tam magnifica sede digna videri possent, sed ea tantum, quæ cum cultu Jovis et religione cohærerent, ibi ponenda curavit, et formæ Domitiani tanta in hac ipsa re prædicatio est, quod eum effingere summus artifex optasset, ut præ hac laude, quo loco deinde imaginem ejus fuerit positurus, parvi sane momenti esse videatur. Accedit quod in hac ipsa sententia illud *novo* molestissime frigidissimeque abundat. Erat nimirum illud templum Phidiæ ætate recens ac novum: sed quid tandem novitatem ejus hoc loco premere oportuit? Nam quod Gronovius interpretatur, nisi in templo et magnificentissimo et novo tantæ pulchritudinis imaginem digne collocari non potuisse: novum quidem templum tantum abest ut augustius et venerabilius sit quam vetustum, ut contra vetustate, id quod ex multis scriptorum locis perspicitur, fama templi et religio augeatur. Videamus jam, an illo *senior* remoto sanari locus possit, et sensum tantummodo, non litterarum similitudinem sequentes, ita paullisper legamus:

Optassetque novo similem te ponere templo
Atticus Elæi *sculptor* Jovis.

Plana erit structura: sententiam nihil admodum juverimus. Nam, ut omittam ineleganter *Atticum Elæi Jovis sculptorem* Phidian appellari, quasi vero, quæ patria ejus fuerit, quicquam ad rem pertineat aut non homo ipse ceteris verbis satis notetur, restat illud *novo*, quod in hac lectione etiam difficilius expedias. Quid igitur agimus? Nimirum fefellit sententia interpretes, qui omnes hoc tantum a poeta dici putant: tanta formæ dignitate præditum esse Domitianum, ut veterum artificum nobilissimus quisque, ut Apelles, ut Phidias, certatim ejus imaginem fuerint expressuri. Immo longe aliud et quidem exquisitius a poeta conceptum videtur. Nam ut in iis, quæ sequuntur:

et tua mitis
Ora Tarans, tua sidereas imitantia flammas
Lumina contempto mallet Rhodos aspera Phoebo.

ita laudat formam Domitiani, ut eam et Herculi Tarentino et Rhodio Apollini anteponat, ita hic quoque non de artificibus eum agere credo, sed de operibus ipsis, quæ, quamquam pulcherrima sint, tamen Domitiani sibi formam præoptare poetica audacia fingantur. Ut igitur in priore membro non Apelles, sed *ceræ Apelleæ*, sic in posteriore non Phidias ipse, sed opus ejus, Elæi jovis signum, subjectum sententiæ est itaque corrigendus locus:

Apelleæ cuperent te scribere ceræ,
Optassetque novo similem te ponere templo
Auctius Elæi *signum* Jovis.

Jam omnia recte se habent. *Auctius* signum adulatorie dicit, tamquam id, sicut erat, nondum tantæ majestati responderet; *novum* autem templum, quod vetus illud, quum jam antea signi magnitudini vix sufficeret, multo minus auctum id et grandius factum continere potuisset.

C. II.

v. 7.

Quas inter vultu petulans Elegia propinquat
Celsior adsueto divasque hortatur et ambit
Alternum fultura pedem decimamque videri
Se cupit et medias fallit permixta sorores.

Recte Handius in eo priores interpretes reprehendit, quod in verbo *fultura* vel explicando vel corrigendo ipsam formam verbi eique inhærentem temporis significationem neglexerunt. Verum ne ipse quidem, ut mea opinio fert, quum vulgatam scripturam tuetur, eundem

scopulum effugit. Nam quod futuro participii *gestiendi* et *conandi* notionem inesse contendit, id, ut omnino probari possit, vehementer vereor: certe non ex iis, quæ attulit, exemplis efficitur. *Ceras* enim *locuturas* (Silv. IV, 5, 21) non eo sensu Statius dicit, ut iis voluntatem loquendi attribuat, sed ut potestatem: quemadmodum haud infrequenter hoc participii tempus poetis ponitur. Sic jam Horatius:

O mutis quoque piscibus
Donatura cycni, si libeat, sonum. (Carm. IV, III).

Sed multo frequentius posteriores. Ut Martialis, V, 69:

Antoni, Phario nil objecture Pothino,
Et levius tabula quam Cicerone nocens:

Nihil objecture i. e. qui nihil potes objicere, qui nihil quod objicias habes. Similiter idem X, 63:

Marmora parva quidem, sed non cessura, viator,
Mausoli saxis Pyramidumque legis.

parva quidem, sed quæ Mausoli saxis *non cedere* i. e. certare possint. Item Lucanus:

æquaturusque sagittas
Medorum, tremulum cum torsit missile, Mazax. (IV, 680).

Quamquam in his posterioribus exemplis adeo obscurata facultatis notio est, ut, si pro *non cessura* "non cedentia", pro *æquaturus* "æquans" rescribas, nihil admodum sensus ipse mutetur; unde illam ipsam locutionem, unde principium sumpsimus, *locuturas ceras* sic etiam interpretari possis, ut idem valeat quod "tabulas loquentes" (cf. Mart. IX, LXXVII, 9) i. e. "argutas". Quem vero Lucani locum laudat: (II, 37)

Non aliter placitura viro sic mæsta profatur.

hic futurum participii propria et usitata vi usurpatur: "hoc habitu — neque aliter erat placitura — profatur." Rejicienda igitur Handii explicatio, et potius, num quid corrigendo efficere possimus, videndum. Atqui in promptu emendandi ratio est. Cupit se Elegia decimam musam videri et fallit turbæ sororum sese immiscens. Debet igitur non fulcire alternum pedem — quod quale sit vix intelligo, quum non addatur quo fulciat — sed oculis subtrahere et occultare. Certum habeo ita a Statio scriptum:

divasque hortatur et ambit
Alternum *furata* pedem decimamque videri
Se cupit e. q. s.

Furata pro *furans* sollemni poetarum usu. *Alternum pedem* i. e. inæqualitatem pedum. De verbo ipso cf. Sen. Agam. 972:

Germane, vultus veste furabor tuos.

v. 19.

Nec blandus amor nec Gratia cessat
Amplexum niveos optatæ conjugis artus
Floribus innumeris et olenti spargere nimbo.
Tu modo fronte rosas, violis modo lilia mixta
Excipis et dominæ niveis a vultibus obstas.

Mire, qui modo conjugem amplexu tenere dicebatur, jam tergum ei obvertere fingitur. Mire etiam vultus, cujus modo (v. 12) dulcis rubor laudabatur, subito niveus factus est. Putida deinde tota imago: qua Stella flores, quos Amor et Gratia jaciebant, prohibere a Violantilla inducitur, tamquam adeo delicatula illa esset, ut ne violis quidem ac rosis tangi pateretur. Ne multa: corruptum esse totum posterius hemistichon v. 23 pro certo habeo. Quid scripserit poeta, magis obscurum, quum, quæ sententia ejus fuerit, e prioribus vix colligi possit. Suspicor tamen in hunc modum ab eo relictum:

Tu modo fronte rosas, violis modo lilia mixta
Excipis et dominæ, *Veneri velut Evius, adstas.*

v. 121.

Huic quamvis census dederim largita beatos,
Vincit opes animo. Querimur jam Seras avaros
Angustam spoliasse domum cett.

Sic Handius primus edidit. Ante eum *queritur* legebatur pessimo sensu, si quidem ita nihil nisi luxus et emacitas Violantillæ laudabatur. Sed nondum persanatus mihi locus videtur. Quid enim tandem significant illa "vincit opes animo"? Nihil invenio, nisi hoc dixit poeta, animi bonis eam etiam fortunæ amplitudinem superare. Si hoc voluit, nonne mirum est ita, ut facit, pergere? Nonne exspectes, ut jam adjungat aliquid de istis animi virtutibus, ad quas dedita opera munivisse sibi transitum videtur, quoniam de iis adhuc ne verbum quidem fecit, in formæ tantum laude versatus? Contra Venerem inducit de bombycinorum aliarumque rerum, quæ ad muliebrem cultum pertinent, deficiente copia conquerentem: quæ quidem querela, quomodo cum iis, quæ antecedunt, commode conjungi possit, non video. Ac recte quidem oratio se haberet, si pro *animo* "forma" scriberetur, ut sententia esset: "majoribus tamen opibus dignam forma

egregia reddit", sed longius ab codicum scriptura recederemus. Jam talem fere requiro sententiarum complexum: "huic quamvis maximam fortunam dederim, nondum tamen mihi ipse satisfacio. Semper plura largiri gestio. Querimur igitur" cett. Ad hanc rationem non nimis audacter, ut mihi videor, conjicio:

Huic quamvis census dederim largita beatos,
Jungere opes *aveo*. Querimur jam cett.

Jungere opes latine dici posse opinor pro eo quod est "opes opibus addere". Certe ita ipse locutus est Silv. IV, VI, 17. "O bona nox junctaque utinam Tirynthia luna", ubi *juncta* luna idem est quod geminata. Cf. S. I, V, 10. S. II, VI, 11.

v. 131.

In litore Naxi
Theseum juxta foret hæc conspecta cubile,
Gnosida desertam profugus liquisset et Evan.

Nihil in vocabulo *profugus* morabor, quamquam sine dubio non tam recte in Baccho quam in Theseo ponitur: gravior in verbis *juxta Theseum cubile* offensio, quæ, ut nunc editur locus, nullam probabilem interpretationem admittunt. Nam quum dicit poeta Bacchum Ariadnen relicturum fuisse, hoc quoque dicit, eam jam in chorum ejus esse receptam: quid igitur attinet Violantillam ab eo juxta Thesei cubile potius quam alio quovis loco conspici? Ita demum Thesei cubilis recte mentio fieret, siquidem eum sensum, qui unus ex tradita nobis scriptura erui potest, etiam poetæ fuisse censemus, si ille id ipsum tempus significare voluisset, quum primum in Ariadnen Bacchus inciderat et quum illa adhuc in Theseo cubili jacebat: at tum si Violantillam conspexisset, hanc eum Ariadnæ prælaturum, non hujus causa Ariadnen deserturum fuisse scribi debuerat. Plana et recta sententia restituetur non ita magna litterarum mutatione:

In littore Naxi
Theseum juxta foret hæc conspecta cubile,
Gnosida desertam *profugo laudasset* et Evan.

Dicit igitur poeta: "Si Theseus Violantillam juxta cubile suum conspexisset et illius forma captus Ariadnen deseruisset, perfidiam ejus Bacchus ipse, Ariadnæ conjux, non modo non reprehensione, sed etiam laude dignam judicasset.

v. 134.

Quod nisi me longis placasset Juno querelis,

Falsus huic pennas et cornua sumeret æthræ
Rector, in hanc vero cecidisset Jupiter auro.

Tuetur vulgatam scripturam Handius ita exponens, in Violantilla Jovem non falsum, ut in Danaë, sed verum futurum fuisse amatorem. Quæ sententia quomodo ex his verbis extundi possit, alii viderint: mihi perspicuum est, si, quam nunc habemus lectionem, a Statio profecta est, id eum egisse, ut inter falsas pennas falsaque cornua et verum aurum oppositio aliqua arguta intercederet: inde sequi, ut, quamcunque verbis *vero auro* tribueris significationem, ejus contrariam illis prioribus esse adsignandam. Quid igitur Handii explicationi fiet? Nempe, si hic verus amator Jupiter significatur, necesse est illic falsus significatus sit et quantum posterior versus extollat, tantum superior deprimat. Præterea satis in propinquo vera scriptura:

Quod nisi me longis placasset Juno querelis,
Falsus huic pennas et cornua sumeret æthræ
Rector, in hanc *rivo* cecidisset Juppiter *aureo.*

Aureo in *auro* mutato, ne huic substantivo adjectivum suum deesset, ex eo quod est *rivo* librarii *vero* concinnarunt.

v. 201.

Macte toris, Latios inter placidissime vates,
Quod durum permensus iter coeptique laboris
Prendisti portus.

Scribendum opinor:

Quod, durum permensus iter *sævique* laboris,
Prendisti portus.

vel si quod aliud illius *laboris* epitheton malis, ut *crudi*, ut *vasti.* (Baehr. *certisque sub oris).*

C. III, 1.

Cernere facundi Tibur glaciale Vopisci
Si quis et inserto geminos Aniene penates
Aut potuit sociæ commercia noscere ripæ
Certantesque sibi dominum defendere villas:
Illum nec calido latravit Sirius astro
Nec gravis adspexit Nemeæ frondentis alumnus:
Talis hiems tectis, frangunt sic improba soles
Frigora Pisæumque domus non æstuat annum.

Multa hæc ingressio habet mirabilia. ”Si quis villas tiburtinas Vopisci cernere potuit, illi non Leonis sidus molestum fuit.” Tantane vis in ipso aspectu villarum, in ipsa contemplatione locorum fuit? *Potuit* autem cur dicit? Tam aut dominus inhospitalis aut longinquum Tibur aut asper et difficilis villarum situs? His commotus fuit quum ita scribendum putarem, præeunte partim Barthio:

Cernere facundi Tibur glaciale Vopisci
Ecquis et inserto geminos Aniene penates
Aut *petiit* sociæ commercia noscere ripæ
Certantesque sibi dominum defendere villas?
Illum cett.

Sic *illum* dominum ipsum diceret, in quem ea, quæ sequuntur, multo sane melius quam in hospitem conveniunt. Commendant aliquatenus hanc conjecturam, quæ sub hujus ipsius carminis finem leguntur:

Hæc per et Ægeas hiemes Pliadumque nivosum
Sidus et Oleniis dignum petiisse sub astris,
Si Maleæ credenda ratis Siculosque per æstus
Sit via. Cur oculis sordet vicina voluptas?

Verum obruit omnia verborum collocatio satis insuavis ac molesta, ut ferenda potius utcunque codicum lectio videatur. — Jam *Pisæus annus*, ut haud incommode pro quadriennio aut quinquennio poneretur, ita pro ferventissima parte æstatis obscure affectateque dicitur, neque ullum hic usus non modo apud latinos, sed ne apud græcos quidem scriptores exemplum habet. Tum etiam casus nominis offendit, quum pro illius ætatis more *anno*, non *annum* scribi debuerit. *Non æstuat* vero quam languidum, quam nihili est post *hiemis* et *frigorum* mentionem! Fortasse scriptum erat:

Talis hiems tectis: sic frangunt improba soles
Frigora *primævumque* domus non *exuit* annum.

Hoc est: semper tale frigus habet, quale primis mensibus anni esse solet. Credo autem *primævum annum* pro incipiente anno tam recte dici quam pro modo exorto sole ”tenerum jubar”, ut loquitur Statius ipse Silv. II, II, 46.

v. 15.

Ingenium quam mite solo; quæ forma beatis
Arte manus artemque locis! Non largius usquam
Indulsit natura sibi,

Sic codices. Una litterula mutata veram Statii manum recipiemus:

Quæ forma beatis
Ante manus artemque locis!

Beata, amoena hæc loca jam ante manus artemque i. e. jam ante adhibitam humanam operam artemque erant. Frequens poetis hujusmodi brevitas. Sic Luc. VI, 144:

Castrorum in plebe merebat
Ante feras Rhodani gentes.

i. e. antequam cum illis gentibus pugnavit. Idem de basilisco loquens, IX, 724.

Sibilaque effundens cunctas terrentia pestes,
Ante venena nocens cett.

i. e. antequam venena emittit.

v. 17.

Nemora alta citatis
Incubuere vadis: fallax responsat imago
Frondibus et longas eadem fugit unda per umbras.

Cur *eandem* undam poeta dicat, ut nunc locus scribitur, nulla causa comparet. Corrigendum est:

fallax responsat imago
Frondibus et *geminas* eadem fugit unda per umbras.

Per geminas umbras i. e. per duas silvas amnis dicitur labi, et veram illam, quæ ripas ejus obumbrat, et hujus imaginem, quæ aqua repercutitur.

v. 20.

Ipse Anien, miranda fides! infraque superque
Saxeus, hic tumidam rabiem spumosaque ponit
Murmura.

scribendum videtur:

Spumeus, hic tumidam rabiem *saxosaque* ponit
Murmura.

Sic Statius Theb. IV, 801: *Saxosumque impulit aures Murmur* et Vergilius ipse *saxosumque sonans Hypanis* Georg. IV, 370, quamquam incerta hic lectio est.

v. 27.

Sestiacos nunc fama sinus pelagusque natatum
Jactet et audaci junctos delphinas ephebo.

Junctos quid sibi velit non video. Natabat Leander; delphinibus junctis vectum esse nemo narravit. Scribendum puto:

et audaci *suetos* delphinas ephebo.

Ita Leander apud Ovidium:

Jam nostros curvi norunt delphines amores,
Ignotum nec me piscibus esse reor. Epist. XVII, 131.

Et pertinet ad angustias freti indicandas sæpe id eum transnatasse.

v. 31.

Sic Chalcida fluctus
Expellunt fluvii: sic dissociata profundo
Bruttia Sicanium circumspicit ora Pelorum.

Manifestum est hoc poetam dicere voluisse: "Sic inter Chalcida et Boeotium litus brevissimum fretum intercedit"; quæ sententia ex traditis verbis extorqueri nullo pacto potest. Scribendum videtur:

Sic Chalcida *littus*
Explorat Glauci: sic cet.

Ut Bruttia ora Pelorum, sic Glauci litus (Chalcedonium) Chalcida explorat atque circumspicit: tam breve interjectum mare est.

v. 48.

Labor est auri memorare figuras
Aut ebur aut dignas digitis contingere gemmas,
Quicquid et argento primum vel in ære minori
Lusit et enormes manus est experta colossos.

Sic Baehrensius edidit, pro eo, quod antea vulgo legebatur, *Myronis*, codicum auctoritate, quam etiam conjectura præcesserat, *minori* reponens et jam omnia recte sese habere confirmans. Ac *minori* quidem quin recte revocaverit, haudquaquam dubito; persanatum locum esse nondum credo. Nam et illud *primum*, licet pro *primarium* accipi possit, tamen quum propter ambiguitatem vehementer offendit, tum in hoc contextu, ubi multo melius sine ullo omnino epitheto procedat oratio, moleste inseritur; et quod liberiore constructione usum Statium dicit ad *quicquid* illud *enormes colossos* adjunxisse, quum regula sermonis *enormium colossorum* expectari juberet, vereor, ne ejusmodi constructio barbara rectius quam liberior appelletur. Quod si latine locutum Statium putamus, ita interpretari codicum scripturam cogimur: "quicquid enormes colossos experiens manus in ære minori lusit": qui sensus nihil, ut opinor, ad poetæ mentem facit. Duæ tantum, ut jam ad emendandi rationem veniamus,

hujus loci sententiæ esse possunt: aut verum est illud *primum* et hoc dixit poeta: "quicquid artifices, priusquam ad colossos fingendos aggressi sunt, in ære minori proluserunt": aut, si falsa illa vox, hoc voluit: "quicquid in ære minori luserunt ii artifices, qui antea etiam colossos effingere ausi erant." In illam priorem quomodo probabili mutatione verba deflectam, non reperio: ad hanc posteriorem recte ita scribitur:

Quicquid et argento — *mirum!* — vel in ære minori
Lusit et enormes manus *ante* experta colossos.

Eadem sententia Lib. IV, VI, 44:

Quis modus in dextris, quanta experientia doctis
Artificis curis, pariter gestamina mensæ
Fingere et ingentes animo versare colossos!

IV, 13. ita scribendus videtur:

fausteque ex ordine colles
Confremite et sileant pejoris murmura famæ:

ut faustus fremitus pejoris famæ murmuri opponatur. Nam fremere ipsum ,opinor, tam dolentium quam gaudentium est. (Collatio Politiani *nosterque*, cod. *noseque* vel *nosceque*).

v. 61.

Prægressusque moras "nunc mecum, Epidauria proles,
Hinc, ait, i gaudens.

Progressus cod. habent. Scribendum puto:

Præquestusque moras cett.

v. 68.

Genus ipse suis præmissaque retro
Nobilitas.

Quid sit *retro præmissa nobilitas*, equidem non intelligo. Omnia plana fient, si scripseris:

Genus ipse suis præmissaque retro
Nobilitat.

"Quum ceteri majorum suorum gloria decorentur, hic inverso ordine suis laudibus majores nobilitat." Similiter Sid. Apoll. in panegyrico Aviti:

priscum titulis numeret genus alter, Avite;
Nobilitas tu solus avos.

Præmissa i. e. quicquid gentis suæ ipsum præcessit. Præterea dubito, an commodius *genus sui* scribatur pro *genus suis*, ut homines novi *ex se nati* dicuntur.

v. 86—88.

Gaudet Trasimenus et Alpes
Cannensesque animæ primusque insigne tributum
Ipse palam lacera poscebat Regulus umbra.

Illud *poscebat*, quod Marklandus in *plaudebat*, Baehrensius in *noscebat* mutavit, corruptum esse omnes fatentur. Accedit vox *palam*, quæ, sive Marklandi conjecturam recipias, inaniter abundat — nihil enim erat, cur lætitiam suam Regulus occultaret — sive Baehrensii scripturam probaris, prorsus alienum est. Neque enim hoc potuit Statius dicere, nisi forte delirabat, *palam*, hoc est, ab omnibus conspectum, tributum illud Regulum inspexisse. Jam voces *ipse* et *primus* numquam ita explicaveris, ut non pugnent inter sese et altera alteram tollat. Recte *primus* lætari Regulus diceretur, quum consentaneum esset, qui gravissima ab hoste passus esset, eum etiam maxime ejusdem hostis clade gaudere. Minus bene, tolerabiliter tamen, *ipsum* Regulum dixisset, ut fingerent legentes, tristem alioquin umbram et inflicti cruciatus memoria mærentem, tamen audito illo triumpho lætitiæ aliquem fructum percepisse. *Primum* autem Regulum *ipsum* esse lætatum nequaquam recte dici potest, quum nulla causa reddatur, cur, quem minime gaudere exspectandum erat, re vera maxime gavisus sit. Non igitur unius tantum vocis mendum, sed latius diffusam corruptelam tenemus. Certum habeo a Statio in hunc modum scriptum:

Gaudet Trasimenus et Alpes
Cannensesque animæ *Poenisque* insigne tributum
Increpitans laceram pensabat Regulus *umbram.*

Domitiani triumphum Poenis exprobrando cruciatus suos Regulus solabatur.

C. V, v. 10.

Junge puer cyathos atque enumerare labora.

Hæc codicum scriptura est, sine dubio in hunc modum corrigenda:

Junge puer cyathos, *octo et* numerare labora.

Octo cyathos sibi infundi jubet, ut tot fiant, quot amici nominum, vel Claudius vel Etruscus, litteræ. Cf. Mart. XI, 36. IX, 94.

v. 34.

Non hnc admissæ Thasos aut undosa Carystos;
Mæret onyx longe queriturque exclusus ophites:
Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura, sola cavo Phygiæ quam Synnados antro
Ipse cruentavit maculis liventibus Attis,
Quæque Tyri venas secat et Sidonia rupes.
Vix locus Eurotæ, viridis quum regula longo
Synnada distinctu variat.

Haud immerito Marklandus miratur vix Eurotæ hic locum esse dici, quum constet tamen aliunde viridium marmorum nullum Laconico pretiosius fuisse. Poterat addi mire quoque poetam, quum modo et exclusa et admissa genera diserte appellaverit, hic exclusum tantum nominare, id, quod ut præstantius huic prælatum sit, prorsus omittere. Cod. *Quoque Tyri niveas*, nisi quod coll. Pol. *quæque* profert. Unde ita constituendum locum puto:

Quoque Tyri*ve vias secet aut* Sidonia rupes,
Vix locus, Eurotæ viridis quum regula longo
Synnada distinctu variat.

Hoc est: quum Laconici marmoris regula Synnadicum distinguit, vix locus est, quo Tyrium Sidoniumve vias secare i. e. inter media illa procedere et inseri possit. Solum igitur Laconicum marmor aut pæne solum variandæ Synnadi inservit, Tyriis Sidoniisve saxis posthabitis.

Lib. II.

C. 1, v. 31.

Ego juxta busta profusis
Matribus atque piis cecini solatia natis,
Et mihi, quum proprios gemerem defectus ad ignes
(Quem, natura!) patrem.

Duo fere sunt, quæ mendi hunc locum convincunt. Primum quomodo uno eodemque tempore et solatia sibi canere et defectus gemere potuit? Nam illud *defectus* adflictum animum significat et desperantem ac dolori plane succumbentem; in quo statu qui sunt, tantum abest, ut se ipsi consolari possint, ut vix aliorum alloquia patiantur. Deinde, si mox *patrem* erat appellaturus, quid erat, cur *ad proprios ignes* præmitteret? Rectum unum alterutrum erat; aut *patrem* aut

ad proprios ignes: recte etiam per anaphoram efferretur: *cum ad proprios ignes, cum patrem gemerem:* hoc vero modo utrumque conjunctum necessario pravam sententiam facit. Accedit exclamatiuncula illa "Quem, natura!" quæ — pace eorum dixerim, si qui aliter judicabunt — tam putida videtur quam quod putidissimum. Scribendum censeo:

Ego juxta busta profusis
Matribus atque piis cecini solatia natis,
Heu! mihi, quum proprios gemerem defectus ad ignes,
Collatura parum.

Similiter in epicedio in puerum suum scripto:

Ille ego qui totiens blandus matrumque patrumque
Vulnera, qui vivos potui mulcere dolores,
Deficio medicasque manus fomentaque quæro.

v. 67.

Muta domus, fateor, desolatique penates
Et situs in thalamis et mæsta silentia mensis.

Illud *fateor* ferendum non esse satis apparet. Sed quod Marklandus proposuit *pariter*, alienissimum ab hoc loco est: ***stat hero*** autem, ut Baehrensius conjecit, ne a Statio profectum esse credamus, ipse sonus injucundior vetat. Suspicor ita legendum:

Muta domus *jam adeo* desolatique penates.

Elisionem consimilem Theb. III, 3, 374 habemus: "Hospes adhuc scio: nec me adeo res dextra levavit." *Adeo* autem eadem fere significatione positum qua *immo:* quam significationem Handius de hac particula agens exemplis comprobavit. (Turs., Adeo, V, 4.)

v. 122.

Illa (Invidia) genas et adultum comere crinem
Et monstrare artes et verba effingere, quæ nunc
Plangimus.

Non verba pueri, sed puer ipse plangebatur et omnia ejus et corporis et animi bona. Mirum, ni ita scriptum erat a poeta:

Et monstrare artes et *cuncta* effingere, quæ nunc
Plangimus.

v. 123.

Jam tamen et validi gressus mensuraque major
Cultibus et visæ puero decrescere vestes:

Quum tibi quas vestes, quæ non gestamina mitis
Festinabat erus? Brevibus constringere lænis
Pectora et angusta telas artare lacerna
Enormes non ille sinus, sed semper ad annos
Texta legens modo puniceo velabat amictu cett.

Sic codices. Primum cum Marklandio pro *sinus* "sinens" reponendum, quocum infinitivi illi *constringere* et *artare* conjungantur. Tum in his: *angusta telas artare lacerna enormes*, quoniam verba: *angusta lacerna artare* præcedens locutio *brevibus lænis constringere* egregie tuetur, nihil in suspicionem vocari potest præter *telas enormes*, pro quibus, ut supra pectus, sic hoc loco corporis aliqua pars nominari debet, adjuncto epitheto, quo illa angustæ lacernæ contraria ponatur. Nam *enormes* quoque non potest non corruptum esse neque enorme quicquam in eo puero poetæ erat appellandum, quem cetero carmine tamquam egregiæ formæ extollit et nunc celeriter quidem crevisse narrat, non tamen præter naturam aut usque ad immanem corporis magnitudinem. His vero sanatis etiam illi *vestis* v. 127, quod intolerabiliter ex superiore versu repetitur, sua medicina sponte nascetur. Totum locum ita constituo:

Jam tamen et validi gressus mensuraque major
Cultibus et visæ puero decrescere vestes:
Quum tibi quas *telas*, quæ non gestamina mitis
Festinabat herus? Brevibus constringere lænis
Pectora et angusta *latas* artare lacerna
Cervices non ille sinens, sed cet.

Profecta est corruptela ab *cervices*, quo in *enormes* mutato pæne necessario adjectivo *latas* substantivum *telas* substitutum est. Tum pro *telas* v. 127, ne idem nomen bis in tam exiguo spatio poneretur, *vestes*, quod nostri codices habent, librarius aliquis intulit, oblitus eandem vocem superiori versu præcedere. — *Quum* v. 127 cur in *tum* corrigatur, nullam causam video. (Baehr. tum — et angusta *talari* artare *lacertos* Enormes.)

v. 191.

Noverat effigiem generosique ardua Blæsi
Ora puer, dum sæpe domi nova serta ligantem
Te videt et similes tergentem pectore curas.

Neque inde effigiem et os Blæsi cognitum habere poterat Glaucias, quod serta herum ligantem, sed quod illius imaginem his sertis ornantem sæpe domi viderat; neque qui mortui amici memoriam honore prosequitur, hoc ipso tempore, quo consentaneum est eum cum mærore quodam et desiderio mortuum recordari, apte *curas pectore tergere* i. e. depellere dicitur. Persuasum habeo a Statio aliquid in hanc formam profectum:

Noverat effigiem generosique ardua Blæsi
Ora puer, dum sæpe domi nova serta ligantem
Te videt et similes *nectentem vellere ceras.*

Nam præter *similes ceras*, quod verum esse omni pignore adfirmem, de ceteris verbis adhuc dubito.

C. III, 37.

Omnia questus
Immitem Bromium, stagna invida et invida tela.

Bromium deum nihil hic negotii habere perspicuum est. Pro eo Jos. Scaliger *Brimo* induxit; quæ conjectura summa admiratione a viris doctis excepta, mox, auctore Gronovio, etiam in textum, qui vocatur, ab editoribus admissa est tantum non omnibus, et litterarum cum tradita scriptura similitudine commendata et nonnihil etiam, ut opinor, magnifica quadam doctrinæ specie adblandiens. Vereor tamen, ne non sine causa de veritate hujus emendationis addubitaverit Marklandus, vir sagacissimus, et rectius venerabilem illam Brimo eodem quo Bromium abire jubeamus. Licet enim, ut ex scholio ad Apoll. Rhod. 3, 861. apparet, Hecatæ hoc nomen fuerit, ut eo etiam Diana significari quodammodo possit, tamen, ut omittam parum convenienter id nomen, quum græcis tantum fabulis celebratum sit, in ea re narranda, quæ in medio Latio geritur, induci, dea ipsa, quum ita appellatur, tristis quædam atque horribilis cogitatur, magarum præses ac domina, subitis terroribus nocturnisque simulacris mortales exagitans — talis denique, qualis in hac rustica et amoena fabella cogitari minime debet. Deinde quum in Thebaide, opere non modo ad ingenii laudem, sed etiam ad doctrinæ composito, numquam hoc vocabulum usurpaverit poeta, ne eo quidem loco, ubi aptissime poterat, in sacrorum illorum descriptione, quibus ad vaticinandum ex inferis Lajus elicitur — cur hic usurpasse credamus, re ipsa, quæ narrabatur, non modo non invitante, sed etiam respuente, in carmine tam inaffectato, tam simplice, ut hæc interiorum litterarum, ut ita

dicam, aspersiuncula non ut lumen, sed ut macula cum offensione statim in oculos esset incursura? Una tantum poterat esse hujus appellationis excusatio, metri necessitas; quæ nulla erat, quum ita scribi liceret vulgatissimo nomine:

Omnia questus
Immitem *Triviam*, stagna invida et invida tela.

Et sic poetam scripsisse confido.

C. VI, 2.

Miserum est primæva parenti
Pignora surgentesque (nefas!) accendere natos:
Durum et deserti prærepta conjuge partem
Conclamare tori, moesta et lamenta sororum
Et fratrum gemitus. Arcte tamen et procul intrat
Altius in sensus majoraque vulnera vincit
Plaga minor.

"Acerbus est dolor", ait, "quem ex nati vel conjugis vel fratris sororisve morte percipimus. Multo tamen altius minor plaga intrat in sensus, etiam majora quæ putantur vincens vulnera." Quid? Tam perverse Statium locutum esse censemus, ut sic universe contenderet vinci majorem plagam minori, levius esse domesticum vulnus externo? Nonne debuit dicere, quamquam ita natura ferret, ut magis propinquorum quam alienorum amissione doleremus, converti tamen hunc ordinem *posse* aut in *hoc* saltem Flavii casu esse conversum? Ad harum alteramutram sententiarum corrigendus hic locus videtur. In codicibus est *ad te tamen at.* Conjicio:

Est, est tamen, *ut* procul *intret*
Altius in sensus majoraque vulnera *vincat*
Plaga minor.

v. 27.

Nec Paris Œbalios talis visurus amores
Rusticus invitas dejecit in æquora pinus.

Posterior versus ita scribendus videtur:

Rhoetia funestas dejecit in æquora pinus.

Nam *Rhoetia* pro *Rhoetea* eodem jure Statius dixit, quo Lucanus pro *Rhoeteum* promontorium *Rhoetion* posuit, IX, 963;

Rhoetion et multum debentes vatibus umbras.

Ubi, si Rhoeteum reponamus, etiamsi nulla, quod viderim, scripturæ discrepantia adnotatur, salebrosus oriatur versus ac sono prorsus intolerabili.

v. 48.

Jam pudor innocuæ mentis tranquillaque morum
Temperies teneroque animus maturior ævo,
Carmine quo nota esse queant?

Nota esse Baehrensius ex conjectura Marklandi. Sed præteritum infinitivi, num aoristice etiam in passivo genere usurpetur, ut *nota esse* pro *innotescere* accipi possit, vehementer dubito. Codicum scriptura *potasse queant* pæne manu ad veritatem ducit:

Carmine quo *patuisse* queant?

v. 60.

O quam divitiis censuque exutus opimo
Fortior, Urse, fores! Si vel fumante ruina
Ructassent dites Vesuvina incendia Locros,
Seu Pollentinos mersissent flumina saltus,
Seu Lucanus ager seu Thybridis impetus altas
In dextrum torsisset aquas.

Primum v. 62 ita corrigendum puto:

Vastassent dites Vesuvina incendia *colles.*

Nam illud *Locros*, non magis a Statio profectum credo quam aut *Molorchus* Silv. III. II, 30 aut *Menandri* Silv. III, v, 93 vel in eodem carmine quod legitur *Meliboea.* Et omnino ad nomina propria potissimum concinnanda, sicubi hæsisset, confugisse videtur librarius is, cuicumque hæc quæ in Silvis plurima exstant menda debemus. Deinde v. 64, quemadmodum in prioribus cum Vesuvio vastati Locri vel colles, cum fluminibus mersi saltus Pollentini conjunguntur, ita hic quoque damnum, quod ab inundanti Tiberi acceptum cogitatur, propius definiri debet. Unde suspicor hujusmodi aliquid a Statio scriptum:

Quave Latinus ager *si* Thybridis impetus altas
In dextrum torsisset aquas.

Nam *quave* præcedentis versus primo vocabulo *(seu)* facile expelli potuit: quo facto metri fulciendi causa *Latinus* in *Lucanus* mutarunt.

v. 75.

Attendit torvo tristis Rhamnusia vultu,
Ac primum implevitque toros oculisque nitorem
Addidit et solito sublimius ora levavit,
Heu, misero letale favens seseque videndo
Torsit et invidia mortemque amplexa jacenti
Injecit nexus carpsitque immitis adunca
Ora verenda manu.

Quod in verbis *videndo et invidia se torsit* lusum aliquem verborum quæsisse poetam volunt, tam inepte et infacete ludere quemquam sustinuisse vix credibile est. Tum illud animadvertendum est, incipere hanc narrationis partem a formula *ac primum:* cui quod respondere debebat, *inde* vel *deinde*, ut nunc quidem locus constitutus est, nusquam comparet. Deinde *mortemque amplexa* quid sibi velit, nemo, opinor, probabiliter explicarit. Cur enim Mortem Invidia amplecteretur? Ideone, ut illa se puerum opprimere pateretur? Unde hoc intellegi potest? An ut Mors ipsa socia sibi et adjutrix esset? Cujus nulla postea mentio fit; Rhamnusia nexus injecit, Rhamnusia ora laceravit. Videtur in hanc sententiam poeta scripsisse; nam verba ipsa præstare non audeam:

Seseque videndo
Torsit; *at inde avidos artum complexa* jacenti
Injecit nexus.

Nexus brachiorum intelligo. (Baeh. torsit ab invidia *mortis*que amplexa.)

V. 82.

Non sævius atros
Nigrasset planctu genetrix sibi sæva lacertos.

Verbum *sævius* cur præ ceteris sollicitetur, nihil causæ est. Intolerabile vero: *atros lacertos nigrare* neque eo, quod Lucanus *atra liventes lacertos* (II, 37) dixit, defenditur. Sed *lacertis* epitheton sine dubio dedit poeta, ut potius *nigrasset* quam *atras* in suspicionem vocaverim. Restant verba *sibi sæva*, quibus, si *sævius* retinemus, nullus hic locus est. Corrigendum puto:

Non sævius atros
Foedasset planctu genetrix, *si viva*, lacertos.

Mortuæ matri infra vivus frater opponitur:

Et certe qui vidit funera frater
Erubuit vinci.

v. 52.

Nocturnas alii Phrygum ruinas
Et tarde reducis vias Ulixis
Et puppem temerariam Minervæ
Trita vatibus orbita sequentur:
Tu carus Latio memorque gentis
Carmen fortior exeres togatum.

"Alii", Calliope inquit, "græcas fabulas tractabunt: tu, Lucane, Latio carus eris et togatum carmen fortior exseres." Quid? Non civibus suis grati, etiam qui in illis tritis argumentis elaborarunt? An illi ubivis potius quam domi faventes invenerunt? Non faventium, sed rerum diversitas notari debet. Quidni scribamus:

Tu *condes* Latium memorque gentis
Carmen fortior exeres togatum.

Condes Latium i. e. *res Romanas celebrabis.*

Lib. III. c. III.

v. 76.

Præcipuos sed enim merito subvexit in actus
Nondum stelligerum senior demissus in axem
Claudius et longo transmisit habere nepoti.
Quis superos metuens pariter tot templa, tot aras
Promeruisse datur?

De vitiis hujus loci et de emendandi ejus ratione in præfatione disserui. Venio jam ad suspicionem istam exponendam, quam de vera scriptura habere me significabam: quæ tamen mihi ipsi tam incerta et anceps videtur, ut cunctabundus ac pæne invitus in medium proferam. Dedit autem occasionem ejus ille in prooemio Valerii Flacci Argonauticon locus, ubi Vespasianum adpellans post mortem eum in coelum receptum iri ita prædicit:

Ille tibi cultusque deum delubraque gentis
Instituet, quum jam genitor lucebis ab omni
Parte poli; neque enim in Tyrias Cynosura carinas
Certior aut Grajis Helice servanda magistris,

Sed tu signa dabis, sed te duce Græcia mittet
Et Sidon Nilusque rates.

Ex quo loco, licet non modo mendosus, sed, ut mihi quidem videtur, etiam mutilatus sit, hoc tamen intelligitur in septentrionali parte coeli Vespasiani illam stellam locari, ut inde navium cursus, æque ac Cynosura et Helice, dirigere possit. Quod sive poeta ipse primus invenit, quod, tamquam Castor et Pollux, sic Vespasianus quoque decore fingeretur, quæ pericula inter mortales fortiter feliciterque superasset, ex iis jam deus factus alios esse erepturus: sive, quod fere credibilius est, quum sic sine ulla dubitandi eligendique significatione scriptor loquatur, vetus jam ista et usitata Vespasiani adulatio fuit, fortasse ab astrologo profecta, qui boreale aliquod sidus ejus nomine designasset; potuit inter aulicos poetas ea consuetudo existere, ut certam aliquam stellam septentrionalem tamquam Vespasiano primum, deinde cum Vespasiano etiam Tito consecratam celebrarent. Hanc consuetudinem, si modo ulla fuit, fortasse etiam noster secutus ita hunc locum reliquit:

Præcipuos sed enim merito subvexit in actus
Nondum *stelligero cerni gavisus* in *axe*
Claudius et *longe* transmisit habere, *Bootæ*
Quis *procul ut temo premitur.* Tot templa, tot aras
Promeruisse datur.

Hoc est: Claudius, cui nondum id gaudium contigit, ut propria ejus aliqua stella in coelo cerneretur, ex longinquo transmisit habendum eis, qui in Bootæ vicinitate jam pridem certum sibi sidus adsignatum habent. *Procul* pro "longum", ut Theb. XII, 810:

Durabisne procul dominoque legere superstes?

Ceterum litterarum mutatio, ut magna, ita non prorsus incredibilis. Nam quum *longe Bootæ* in *longo nepoti*, *premitur* in *pariter*, *temo* in *timens* transisset, quid aliud faceret ille corrector nisi ut pro *timens*, quod metrum aspernabatur, *metuens* reponeret, deinde ex litteris illius quod restabat *procul ut* objectum hujus verbi, *superos*, concinnaret?

v. 179.

Haud aliter gemuit perjuria Theseus
Littora, qui falsis deceperat Ægea velis.

Et alienum, ut nunc locus scribitur, *perjuria* et *littore* frigidum est. Haud dubitanter repono:

Haud aliter gemuit perjuria Theseus
Altera, qui falsis deceperat Ægea velis.

Plane pro more suo *altera Thesei perjuria* Statius appellat, ut sic obiter etiam Ariadnæ fabulam tangat. Perjurum autem dici, qui rem promissam non præstiterit, licet jurejurando non fuerit adstrictus, in poetica oratione non debet offendere.

C. IV, v. 12.

Pergame, pinifera multum felicior Ida!
Illa licet sacræ placeat sibe nube rapinæ cett.

Vox *nube* nihili est. Scribendum est:

Illa licet sacræ placeat sibi *nota* rapinæ.

C. V, v. 54.

Nec pietas alia est tibi curaque natæ:
Sic ut mater amas, sic numquam corde recedit
Nata tuo.

Verba *ut mater* molestissime intruduntur, quoniam hoc loco *sic* particula non simplici comparationi inservit, sed cum adfirmatione præcedentis sententiæ rationem reddit. Moleste etiam *nata* iterum ponitur. Conjicio:

Sic *constanter* amas, sic numquam corde recedit
Mota tuo.

v. 60.

Et nunc illa tenet viduo quod sola cubili
Otia tam pulchræ terit infoecunda juventæ;
Sed venient, plenis venient connubia tædis.

Baehrensius post *cubili* graviore distinctione utens et pro *tenet*, quod codices habent, *tepet* rescribens quem rectum sensum effecerit, equidem non assequor. Scriptum fuerat a poeta:

Et nunc *illacrimas*, viduo quod sola cubili
Otia tam pulchræ terit infoecunda juventæ;
Sed venient, plenis venient connubia tædis!

Voce *illacrimas* in duas partes divulsa, ex posteriore id, quod nunc circumfertur, confinxit librarius.

v. 93.

Quid laudem lusus libertatemque Menandri,
Quam Romanus honos et Græca licentia miscet.

Pro magnifica illa voce *Menandri*, quæ nullum hic sensum habet, paullum abest quin suspicer simpliciter *meorum* i. e. popularium meorum Statium scripsisse.

Lib. IV, 1, 8.

Subiere novi palatia fasces
Et requiem bis sextus honos precibusque receptis
Curia Cæsareum gaudet vicisse pudorem.

Consulatum *bis sextum honorem* appellari posse tamdiu negabo, quamdiu nullum hujus locutionis prolatum erit exemplum. Consulatus autem requiem se vicisse gaudere quo sensu dicatur, nisi perversa subtilitate expediri non potest. Persuasum habeo hanc veram esse Statii scripturam:

Subiere novi palatia fasces,
Ad quintum bis sextus honos, precibusque receptis
Curia Cæsareum gaudet vicisse pudorem.

Neque huic conjecturæ refragatur, quod ita carmen exorsus est:

Læta bis octonis accedit purpura fastis
Cæsaris.

Post hunc enim versum septimum decimum honorem appellare non magis ineptum erit aut abundans quam si una sententia dixisset: jam sedecim Cæsaris consulatibus septimus decimus accedit. — *Quintum* quum librario *quietem* visum esset, hoc metri causa in *requiem* mutavit.

v. 23.

Adspicis ut templis alius nitor, altior aris
Ignis et ipsa meæ tepeant tibi sidera brumæ?
Moribus atque tuis gaudent turmæque tribusque
Purpureique patres lucemque a consule ducit
Omnis honos.

Scribendum est:

Adspicis ut templis alius nitor, altior aris
Ignis et ipsa meæ tepeant tibi sidera brumæ,
Mensibus æqua tuis? Gaudent turmæque tribusque cett.

Domitiani menses appellat eos, qui ejus nomine dicti erant, Septembrem et Octobrem. Similiter Mart. IX, 11. "Dum Janus hiemes, Domitianus autumnos, Augustus annis commodabit æstates."

C. II, 5.

Ast ego cui sacræ Cæsar nova gaudia cenæ
Nunc primum dominaque dedit consurgere mensa.

Pro *consurgere* Baehrensius *concumbere:* quod verbum in hac re a nullo, quod sciam, scriptore usurpatur. Suspicor:

dominæque dedit *consortia* mensæ.

v. 20:

Stupet hoc vicina tonantis
Regia teque pari lætantur sede locatum
Numina, ne magnum properes escendere coelum.

Duplici vitio, sententiæ et orationis, hic locus laborat. Nam qui prima fronte videtur esse sensus, lætari numina Domitianum jam pari sede locatum in coelum escendere non properaturum, is quum per se ipse perversissimus sit ac poetæ menti plane contrarius: quasi Domitianum invitos in coelum recepturos deos, ac non potius, tritissima adulationis formula, jam pridem terris eum invidere voluerit: tum etiam parum recte exprimitur, quoniam, quæ nunc exhibentur, si acrius examinamus, nihil aliud significare possunt nisi hoc: «lætantur numina ideo te pari sede locatum, ne in coelum escendere festines», quum tamen effectu hujus ædificationis, non consilio lætari deberent numina. Quare, qui nihil sententia ipsa offenduntur, potius ita edidissent:

teque pari lætantur sede locatum
Numina nec magnum *properare* escendere coelum.

Et habent codices *nec*, non *ne*, pro *escendere* autem *excedere*. Unde mihi, meliorem sententiam quærenti, ita scribendum videtur:

Stupet hoc vicina tonantis
Regia teque pari lætantur sede locatum
Numina nec magnum *properos excludere* coelum.

"Gaudent vicina jam et pari sede te locatum, ut ad te properantibus non magnum coelum obstet, quo antea a commercio tuo excludebantur."

C. III, 9.

Sed qui limina bellicosa Jani
Justis legibus et foro coronat,
Qui castæ Cereri diu negata
Reddit jugera sobriasque terras.

"Sobriis terris" quoniam e contrario opponuntur "Cereri negata jugera", eodem hæc redeunt ac si eadem in utroque nomine translatione usus dixisset: qui ebria jugera sobriasque terras Cereri reddit. Quod certe ferri non potest, ut duobus nominibus, quæ prorsus ex æquo ponantur et inter sese respondeant, epitheta contrariæ significationis adjungantur, ita ut alterum ad præteritum spectet, alterum futuri temporis effectum significet. Quare videndum est, ne potius ita a poeta fuerit relictum:

Qui castæ Cereri diu negata
Reddit jugera *sobriatque* terras;

licet hoc verbum sobriandi qui præterea usurpaverit, excepto Paullino Nolano, nemo reperiatur.

v. 59.

His parvus nisi deviæ vetarent
Inous freta miscuisset Isthmos.

Sic codices non interpolati. Equidem de hoc loco ita ratiocinor. Si adjunxit poeta causam, cur Isthmus, quem illis manibus perfodi potuisse dicit, tamen perfossus non esset, quam tandem causam attulisse eum maxime probabile est pro adulatorio totius carminis consilio? Nempe eam, quod huic laudi bellicam gloriam prætulisset Domitianus, quod longinquis bellis ita implicitus fuisset, ut nihil ei curæ et temporis ad hujusmodi opera relinqueretur. Jam epitheton *parvus*, quod alias recte huic Isthmo tribuitur, ab hoc loco alienissimum est, ubi non extenuari, sed augeri difficultas operis debet. His rationibus ductus ita scribendum arbitror:

His, *laurus* nisi deviæ *vocarent*,
Inous freta miscuisset Isthmos.

C. IV, v. 65.

Sunt membra accommoda bellis
Quique gravem tarde subeant thoraca lacerti.

Fortasse reponendum:

Quique gravem tarde *fugiant* thoraca lacerti.

Hoc est: qui thoracis pondus non cito abjiciant, quippe qui diu id ferre sustineant.

v. 81.

Credetne virum ventura propago,
Cum segetes iterum, cum jam hæc deserta virebunt,

Infra urbes populosque premi proavitaque toto
Rura abiisse mari.

Si pro *abiisse* "deusta" scribimus — ed. Veneta *deesse* præbet — *toto mari* autem pro *tota ora maritima* dictum accipimus, nihil jam, ut mihi videtur, hic locus habebit difficultatis.

C. VI, v. 5.

Neque enim ludibria ventris
Hausimus aut epulas diverso e sole petitas
Vinaque perpetuis ævo certantia fastis.

Scribendum, opinor:

Vinaque perpetuis *ævum testantia* fastis.

Vina, quorum ætatem si noscere velis, perpetuis fastis i. e. longa consulum serie sit computanda,

v. 38.

Et cum mirabilis intra
Stet mensura pedem, tamen exclamare libebit,
Si visus per membra feres: "hoc pectore pressus cett.

Non mensura, sed res ipsa mirabilis erat, tam brevi spatio tam ingentis habitus, tanti roboris imaginem exprimi potuisse. Corrigendum videtur:

Et cum — *mirabile!* — *citra*
Stet mensura pedem, tamen cett.

C. VIII, v. 20.

Ergo quod Ausoniæ pater augustissimus urbis
Jus tibi tergeminæ dederat lætabile prolis,
Omen erat. Venit totiens Lucina piumque
Intravit repetita larem. Sic fertilis oro
Stet domus et donis numquam mutata sacratis.

Pro *mutata* Markl. *nudata*, ut sacrata dona non de jure trium liberorum Menecrati dato, sed de liberis ipsis intelligeretur; quos ita poeta appellaret, quod post illud jus datum tamquam ad ejus omen comprobandum nati essent. Quæ ratio longius arcessita et paullo contortior videtur. Leniore mutatione, sententia, ut opinor, magis aperta ita scribemus:

Sic fertilis oro
Stet domus, *a* donis numquam mutata sacratis.

Hoc est: numquam a sacrati doni similitudine domus recedat semperque, quot liberorum jus a Cæsare datum est, tot etiam liberis fruatur.

v. 25.

Macte quod et proles tibi sæpius aucta virili
Robore; se juveni lætam dat virgo parenti:
Aptior his virtus, citius dabit illa nepotes,
Qualis maternis Helene jam digna palæstris
Inter Amyclæos reptabat candida fratres.

Vulgatam lectionem nihili esse nemo negaverit. Nam et totum illud membrum *se — parenti* infertum potius et intrusum quam interno aliquo vinculo cum præcedentibus conjunctum videtur, et, si singula verba consideramus, quid est aut illud *lætam se dat* aut cur *parenti*, quod per se ipsum otiosum est, multo otiosius additur *juveni?* Jam ut emendandi viam patefaciamus, primum illud apparet *juveni* et *virgo* opposita inter se et contraria esse, et illud pro puero, hoc pro puella accipiendum. Deinde, omisso versu vicesimo septimo, qui orationis contextum ita moleste interrumpit, ut cum Marklando pro interpolato ejicere non dubitem, si ad illud simile, quod sequitur, animum transferamus, quid est cur tamquam maternis palæstris dignam Helenam describat, nisi ut Menecratis puellæ vires præsertim et robur significet? Efficitur ex his hanc poetæ sententiam fuisse: "gratulor tibi, quod et ex tribus liberis duo mares, una femina est et ipsam puellam pueri pæne instar et fratrum robori comparandam habes." Totum igitur locum ita constituendum puto:

Macte quod, *ut* proles tibi sæpius aucta *virilis*,
Robore sic juveni *contendat* virgo *potente:*
Qualis maternis Helene jam digna palæstris
Inter Amyclæos reptabat candida fratres.

Lib. V, c. I. v. 16.

Sera quidem tanto struitur medicina dolori,
Altera quum volucrem Phoebi rota torqueat annum;
Sed quum plaga recens et adhuc in vulnere primo
Ægra domus questu miseramque accessus ad aurem
Conjugis orbati: tunc flere et scindere vestes
Et famulos lassare greges et vincere planctus

Fataque et injustos rabidis pulsare querelis
Coelicolas solamen erat.

Correxit Baehrensius *miseram hautque*, in quo et inauditum nulliusque exempli illud *hautque* et quod in apodosi poni debebat, perverse in protasi ponitur. Apparet enim ita continuari orationem oportere: "sed quum recens plaga erat et adhuc confusa primo doloris ictu domus, tum ad te accedere non potui neque ullus consolanti cuiquam locus fuit: tum flere et plangere et deis invidiam facere unum solamen erat." Scribi debet:

Sed quum plaga recens et adhuc in vulnere primo
Ægra domus: *quis tum miseras* accessus ad *aures*.
Conjugis orbati? Tunc flere cett.

v. 45.

Illa quidem nuptumque prior tædasque marito
Passa alio; sed te ceu virginitate jugatum
Visceribus totis animaque amplexa fovebat.

Paullo infra de eadem Priscilla prædicatur:

Ex te major honos *unum novisse cubile*,
Unum secretis agitare sub ossibus ignem.

Bis igitur nupta Priscilla unum tantum cubile novit et univira mulier duos maritos habuit. Hæc conciliari inter sese posse tum credam, si quis antea unum et duo idem esse effecerit. Interea mendosa esse illa priora et ita corrigenda arbitrabor:

Ægra quidem nuptumque *foret* tædasque marito
Passa alio: sed te ceu virginitate *fugata*
Visceribus totis animoque amplexa fovebat.

"Ægre quidem illa et invita alio marito nuptias subiisset, sed te, quasi omni virginea timiditate deposita, statim toto animo et pectore complectebatur." Ita igitur Priscillæ in conjugem amor laudatur, ut longe tamen is a vulgari libidine et cupiditate abfuisse significetur.

v. 94.

Præterea fidos dominus si dividat enses,
Pandere quis centum valeat frenare, maniplos
Intermissus eques, quis præcepisse cohorti,
Quem deceat clari præstantior ordo tribuni cett.

Scribendum puto:

Præterea fidos dominus si dividat enses,
Pandere quis centum valeat frenare, *maniplus*
Quem tremuisse queat, *quem* præcepisse cohorti,
Quem deceat clari præstantior ordo tribune cett.

Quem posterius in *quis* facile mutare potuit librarius *intermissus eques* cum sequentibus conjungens.

v. 105.

Quæque tuas laurus volucri Germanice curru
Fama vehit prægressa diem tardumque sub astris
Arcada et in medio linquit Thaumantida coelo.

Prægressa diem quid sit, non reperio. Neque enim credo *diem* quisquam pro vento posuit. Tento:

Quæque tuas laurus volucri Germanice curru
Fama vehit; *quæ jussa deûm* tardumque sub astris
Arcada et in medio linquit Thaumantida coelo.

Jussa deûm et Arcada et Thaumantida familiari poetis figura dicit pro eo quod est: Arcada et Thaumantida deorum jussa portantes.

v. 215.

Ille etiam erecte rupisset tempora vitæ.

Miror neminem vidisse in eo, quod codices habent, *erecte* vocabulum *crudæ* latere, quod et a codicum scriptura minimum discedit et sensum huic loco præbet aptissimum. Cruda vita est, quæ ad maturitatem, id est, ad fatalem diem, nondum pervenit.

v. 232.

Hoc ære Ceres, hoc lucida Gnosis,
Illo Maja tholo, Venus hoc non improba saxo.

In eo quod est *tholo* non materiæ alicujus nomen subesse, tot viris doctis frustra elicere conatis, pro certo jam habendum est. Quodsi non materiam aliquam novam nominavit poeta, si illud *Maja* vere ab eo profectum est, nihil præter epitheton ejus deæ addere potuit. Ne tale quidem, quod et versui et sententiæ quadret et traditarum litterarum similitudinem aliquam retineat, facile quisquam reppererit. Reliquum est, ut utrumque vocabulum et *Maja* et *tholo* corruptum esse et, quoniam ex *Maja* non magis quam ex tholo materiæ nomen erui potest, in illo epitheton deæ, in hoc deæ ipsius nomen latere

statuamus. Cui ratiocinationi concurrit, quod inter deas pulchritudine formæ præstantes, quales sunt, quæ hic nominantur, Ceres, Ariadne, Venus, nemo, quod sciam, Majæ mentionem fecit. Conjicio:

hoc ære Ceres, hoc lucida Gnosis,
Illo *magna Thetis*, Venus hoc non inproba saxo.

C. III, v. 51.

Hic ego te (nam Sicanii non mitius halat
Aura croci, ditis nec sic tibi cara Sabæi
Cinnama, odoratas nec Arabs decerpit aristas)
Inferni cum laude lacus et carmine plango
Pierio: sume o gemitus et munera nati
Et lacrimas, rari quas umquam habuere parentes.

Sic Baehrensius; in qua scriptura et illud *cum inferni locus laude* offendit — nam, qui patrem mortuum luget, nihil habet, opinor, cur inferos laudet — et extremi versus qui sensus esse possit, equidem non assequor. Codices *inferni cum laude loci sed* præbent. Totum locum ita constituendum puto:

Hic ego te (nam Sicanii non mitius halat
Aura croci, ditis nec sic tibi cara Sabæi
Cinnama, odoratas nec Arabs decerpit aristas)
Inferni *non lege* loci, sed carmine plango
Pierio: sume o gemitus et munera nati
Et lacrimas *hauri*, quas *numquam* habuere parentes.

"Non sepulchrali ritu, non solito lugentium more te plangam, sed pierio carmine: carmine expressos filii tui dolores et gemitus accipe et hauri lacrimas, quales nulli umquam habuere parentes."

v. 80.

Non ego quas fati certus sibi voce canora
Inferias præmittit olor nec rupe quod atra
Tyrrhenæ volucres nautis prædulce minantur,
In patrios adhibebo rogos: non murmure trunco,
v. 84. Quod gemit et diræ queritur Philomela sorori;

v. 89. Te pietas oblita virum revocataque coelo
Justitia et gemina plangat facundia lingua
Et Pallas cett.

Sic optime gravissimeque procedet oratio: illam vero farraginem, quæ a versu octogesimo quarto ad undenonagesimum in codicibus exstat, totam ejiciendam sine ulla dubitatione contendo. Singula enim videamus:

Nota nimis vati. Quis non in funere cunctos
Heliadum ramos lacrimosaque germina dixit
Et Phrygium silicem atque ausum contraria Phoebo
Carmina nec victa gavisam Pallada buxo?

"Non morientis cygni, non Sirenum, non Philomelæ cantum in patrium funus adhibebo." Cur? Quia nimis nota vati sunt. Quod vero Justitiam et Musas et Pietatem ad mortuum plangendum hortatur, id non cognitum vati, id novum atque inauditum, id nunc demum ab hoc primo inventum, neque ullam istius figuræ suspicionem aut Horatius habuit, quum carmen in Quinctilium Varum scripsit, aut Ovidius, quum mortem Albii Tibulli deflevit? Additur: "quis non in funere Phaetontis sororum luctum et transformationem dixit?" Primum, quomodo hæc cum prioribus cohærent? An nimis illa nota, quia hæc nemo non dixit? Deinde percurrant viri docti memoria et cogitatione omnia, quæ in mortui alicujus honorem conscripta sunt, antiqua carmina; et proferant unum, ubi non dico *cuncti*, sed unus Heliadum ramus celebratus sit. Præterea Phaetontis sorores tum apte inducuntur, quum diuturnus et immodicus luctus describitur: hoc vero loco quid negotii habent, ubi non moerorem sibi et lacrimas optat poeta, sed voces quam suavissimas et quum patre tum se ipso quam maxime dignas? Non plus mehercle quam ille Phrygius lapis, qui deinde inculcatur. At hæc leviora: pæne prodigiosa quæ sequuntur:

Atque ausum contraria Phoebo
Carmina nec victa gavisam Pallada buxo.

"Omnes in funere Marsyan et Arachnen dixerunt." Quis hæc in funere dixit aut quando hæc in funere dici possunt? Vererer ne inepta hæc esse probare inepti videretur, ni, quod vix putaram, Imhofium nacta essent patronum: cui, si dis placet, omnia hic perspicua esse et egregie oratio procedere videtur tali sententia: "non ego patrem meum invidiæ deorum obnoxium fuisse dicam, cui olim

Phaeton, Niobe, Marsyas, Arachne occubuerunt." Ut largiar, quod negare meo jure possum, extundi tale aliquid ex hoc loco posse: quid tum? Quid assequimur, nisi ut ridere jam possimus, quod antea mirari tantummodo poteramus? Quid enim magis ridiculum quam hujusmodi laudatio: "Deorum invidiæ pater meus numquam obnoxius fuit. Nam neque idem, quod Phaethon, facinus ausus fulmine Jovis combustus est neque ob invidiosam foecunditatem Niobæas poenas dedit. Evasit Marsyæ casum: numquam cutis ei detracta est: Arachne textrice felicior fuit: ad extremum in sua forma permansit." Sed tædet in re aperta et perspicua diutius morari. Si hæc non interpolata sunt, quo vera et spuria dinoscantur, nullum indicium est.

v. 119.

Si tu stirpe vetus famæque obscura jaceres
Nil gentile tenens, illo te cive probabas
Graiam et Euboico majorum sanguine duci.

Illud *vetus* corruptum esse apparet. Rescribo

Si tu stirpe *levis* famæque obscura jaceres cett.

i. e. si vili, si contemnendo genere putarere. (Baehr. stirpe *carens.*)

v. 116.

Non tibi deformes obscuri sanguinis ortus
Nec sine luce genus, quamquam fortuna parentum
Artior extensis — etenim te divite ritu
Ponere purpureos infantia legit amictu.

Hæc codicum scriptura. Baehrensius dedit:

Non tibi deformes obscuri sanguinis ortus
Nec sine luce genus, quamquam fortuna parentum
Artior *expensis;* etenim te divite ritu
Sumere purpureos infantia *vidit* amictus.

Sed et otiosissimum est illud *expensis* — quid enim plus *artior expensis* significat quam simplex *artior?* — et locutio *infantia te snmere vidit* pro eo quod est *infans sumpsisti* num defendi possit, jure, opinor, ambigi potest. Accedit, quod post paupertatis familiæ mentionem satis mire *divite ritu* purpureos amictus sumpsisse dicitur, quum potius nobili ritu dici deberet. Denique de sententia ipsa longissime a Baehrensio discedo, quippe qui contrarium ei, quod ex ejus lectione efficitur, a poeta dictum putem. Neque enim ille avi-

tam paupertatem fassus esset nisi magna aliqua et gravi causa adductus: ea vero vix alia esse potuit quam ne cives ejus, qui nulla in domo Statiana vidissent nobilitatis insignia, nisi ea propter rei familiaris tenuitatem deposita dixisset, ementitam ipsam nobilitatem putarent. In hanc igitur sententiam ita temptavi:

Non tibi deformes obscuri sanguinis ortus
Nec sine luce genus, quamquam fortuna parentum
Artior *ac tenuis nimium pro* divite ritu
Ponere purpureos, *infandum! luget* amictus.

Fortuna parentum amictus ponere luget eadem figura dictum qua "mediæ patuit reverentia flammæ" (Silv. III, III, 189) vel quod etiam magis appositum est, "nec erubuit famulantis fistula Phoebi". (ib. 58)

v. 169.

Quosque Dicarchei portus Bajanaque mittunt
Littora, qua mediis alte permixtus anhelat
Ignis aquis et operta domos incendia servant.

Fortasse scribendum:

Et operta *domus* incendia servant:

ut intelligantur ædificia illa, de quibus loquitur Corn. Celsus II, XVII; Siccus calor est et arenæ calidæ et laconici et clibani et quarundam naturalium sudationum, ubi e terra profusus *calidus vapor ædificio includitur*, sicut super Bajas in murtetis habemus.

v. 209.

Me quoque vocales lucos Boeotaque tempe
Pulsantem, cum stirpe tua descendere dixi,
Admisere deæ; neque enim mihi sidera tantum
Æquoraque et terras quam vos debere parenti,
Sed decus hoc quodcumque lyræ primusque dedisti,
Non vulgare loqui et famam sperare sepulchro.

Sic codices, nisi quod *Boeota* Baehr., vere, ut videtur, correxit. Ex his Marklandus, pro *tantum* id quod est *tanti*, quod tamen non ita necessarium videtur, pro *sed* autem *tu* reponens, deinde post *parenti* maximam distinctionem adhibens, tolerabilem saltem orationis structuram effecit. Neque enim bonam appellare possum, quum et illud *enim* satis molestum sit, licet ita accipi possit, ut non rei ipsius, sed commemorationis ejus rationem reddat, et Statiano mori prorsus repugnet, inter has duas parentis allocutiones (v. 209 et 213) sic

abrupte Musarum ipsarum inserere. Unde suspicor multo simpliciorem apertioremque sententiarum complexum fuisse, in hunc modum: "me Helicona pulsantem, quum tuum me filium esse dixissem, Musæ faventes admiserunt; neque enim nobis vitam tantummodo, sed etiam poeticam artem et facultatem dedisti", eique congruenter ita esse scribendum:

neque enim mihi sidera tantum
Æquoraque et terras, *quovis ventura parente*,
Sed decus hoc quodcunque lyræ primusque dedisti
Haud vulgare loqui et famam sperare sepulchro.

Ventura i. e. "quæ mihi obtigissent." — Ex Baehrensiana hujus loci constitutione quis idoneus sensus existat, nequaquam perspicio.

v. 215.

Qualis eras, Latios quotiens ego carmine patres
Mulcerem, felixque tui spectator adesses
Muneris! Heu quali confusus gaudia fletu
Vota piosque metus inter lætumque pudorem!

Malim:

Heu quali *confessus* gaudia fletu
Vota piosque metus inter lætumque *pavorem!*

Pudoris certe nulla causa videtur fuisse.

v. 52.

Ignosce puer! tu me caligine inerti
Obruis, a! durus. Viso si vulnere caræ
Conjugis invenit caneret quod Thracius Orpheus
Dulce sibi, si busta Lini complexus Apollo
Non tacuit: nimius fortasse avidusque doloris
Dicor et in lacrimis justum excessisse pudorem.

Sic Baehr., prava distinctione totam sententiam pervertens. Necessario scribendum est:

Ignosce puer! tu me caligine inerti
Obruis. A! durus, viso si vulnere caræ
Conjugis invenit caneret quod Thracius Orpheus
Dulce sibi, si busta Lini complexus Apollo
Non tacuit. Nimius fortasse sqq.

Hoc est: "Durus Orpheus, si — invenit, durus Apollo, si — non tacuit." Molestior quidem verborum compositio est; sed aut illa admittenda aut sensus loci funditus peribit.

Achilleis.

Lib. I, v. 174.

Insequitur magno jam nunc connexus amore
Patroclus tantisque extenditur æmulus actis,
Par studiis ævique modis, sed robore longe,
Et tamen æquali visurus Pergama fato.

Apparet poetam hoc velle, omnia in Achille et Patroclo prope paria et æqualia fuisse. Cui sententiæ verba *sed robore longe* eo manifestius repugnant, quod modo æmulum Achillis Patroclum appellavit. Deinde id quod est *tamen* nullum hic sensum habet. Scribendum videtur:

Par studiis ævique modis *nec* robore longe,
Et *tandem* æquali visurus Pergama fato.

v. 355.

Tu frange regendo
Indocilem sexumque tene.

"Sexum tenere" quid sit non intelligo. Sine dubio scriptum fuit: *sexuque tene* i. e. "intra fines muliebris sexus coerce."

v. 528.

Tu diva profundi,
Et me Phoebus agit.

Pro *et* necessario *at* scribendum. "Si tu æquoris dea, at ego, quod non minus est, Phoebi vates sum."

v. 657.

Sed pater ante igni ferroque excisa jacebit
Scyros et in tumidas ibunt hæc versa procellas
Moenia quam sævo mea tu connubia perdas
Funere. Non adeo parebimus omnia matri.

Et ridicula illa distributio et absurda *pater igni*, *ferro Scyros jacebit* et perinepte ita loquitur Achilles, quasi in ipsa morte nihil acerbius virgini futurum esset quam conjugii istius, quod tamen invita

subierat, amissio. Scribendum est correcta interpunctione et una littera mutata:

"Sed pater" — Ante igni ferroque excisa jacebit
Scyros et in tumidas ibunt hæc versa procellas
Moenia quam sævo mea tu connubia *pendas*
Funere.

"Sed pater", dicis, "pater, si rescierit, occidet". Non faciet; prius e. q. s. *Pendas* Lind. codd. exhibent.

Lib. II. 144. ubi de vigilante Ulixe dicitur:

lucemque cupit somnoque gravatur

persuadere mihi non possum tam ambigue loqui poetam voluisse, quum liceret scribere: *somnumque gravatur.*

Thebais.

Lib. I. 266 sqq.

Quod si prisca luunt auctorum crimina gentes
Subvenitque tuis sera hæc sententia curis
Percensere ævi senium, quo tempore tandem
Terrarum furias abolere et sæcula retro
Emendare sat est. Jamdudum ab sedibus illis
Incipe cett.

Correxit Madvigius *a quo tempore.* Sed quum in iis, quæ sequuntur (v. 273—79), nulla diversorum temporum ratio habeatur neque ulla ad antiquiora ab recentioribus appareat progressio, rectius ita scribi interpungique credo:

Percensere ævi senium *atque hoc* tempore tandem ...
Emendare sat est: jamdudum ab sedibus illis
Incipe.

In eo enim maxime moratur et hæret Juno, quod tunc demum illud consilium ceperit Jupiter, quod non multo ante istam emendationem sit aggressus, sed ad hoc potius tempus distulerit, quum non ipsius, sed aliorum deorum cultores essent affligendi: ut moveatur suspicio non hominum mores eum curare, sed Bacchi et Junonis invidia moveri.

v. 345.

Densior a terris et nulli pervia flammæ
Subtexit nox atra polos.

A terris quomodo explicari possit, prorsus hæreo. Scriptum erat fortasse:

Densior *Athraciis* cett.

i. e. densior iis noctibus, quæ thessalarum magarum carminibus efficiuntur.

v. 648.

Quodsi monstra effera magnis
Cara adeo superis jacturaque vilior orbis,
Mors hominum, et sævo tanta inclementia coelo cett.

Frigidior et otiosior ille extremus versus, quam ut ab Statio proficisci potuerit. Adscripserat aliquis in margine *mors hominum*, ut illud *jactura orbis* explicaret: quod deinde in ordinem receptum causam pleni hexametri concinnandi dedit.

v. 716.

Adsis o memor hospitii Junoniaque arva
Dexter ames, seu te roseum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, seu præstat Osirin
Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram.

Non Achæmeniæ, sed Græcæ gentis ritu Titan Apollo vocabatur. Conjicio:

Seu te roseum Titana vocari,
Gentis *ut Inachiæ ritus*, seu cett.

Lib. II.

v. 79. descriptionem noctis orgiis transactæ ita poeta absolvit:

Ipse etiam gaudens nemorosa per avia sanas
Impulerat matres Baccho meliore Cithæron.

Adjungitur deinde similitudo:

Qualia per Rhodopen rabido convivia coetu
Bistones aut mediæ ponunt convallibus Ossæ.
Illis semianimum pecus excussæque leonum
Ore dapes et lacte novo domuisse cruorem
Luxus: at Ogygii si quando afflavit Iacchi
Sævus odor, tunc saxa manu, tunc pocula pulchrum

Spargere et immerito sociorum sanguine fuso
Instaurare diem festasque reponere mensas.

Comparantur igitur mitia tunc et innocua Thebanorum orgia cum iis, quæ Bistones celebrare solent, sævis, rabidis et in sanguinem cædesque prorumpentibus et ita comparantur, ut similia esse dicantur. Quid agimus? Aut insanus Statius et inutilis ac ridicula omnis eorum opera, qui verba ejus ad sensum communem perpendunt, aut versus 81—88 non ab eo, sed ab interpolatore profecti. Nam ut pro *qualia* "quam quæ" rescribamus, nemo, credo, suadebit. Ceterum versus per se ipsos Statii arte et ingenio non indignos esse concedendum est.

v. 184.

Non fugeret diras lux intercisa Mycenas
Sæva nec Eleæ gemerent certamina valles
Eumenidesque aliis aliæ sub regibus et quæ
Tu potior, Thebane, queri.

Versus 185 et 186 O. Müellerus quum nullo modo inter sese cohærere videret, mutilatum hic textum esse statuit. Dubito tamen, an hac desperata ratione opus non sit, si parva mutatione ita scribamus:

Sæva nec Eleæ gemerent certamina *vallis*
Eumenidesque aliis *alias* sub regibus.

Præcesserat (v. 181):

Atque utinam his manibus permittere gentes,
Juppiter æque, velis, quas Doricus alligat undis
Isthmos et alterna quas margine submovet infra.

ut jam non valles, sed gentes gemere dicantur.

v. 255.

Tunc ora rigantur honestis
Imbribus et teneros lacrimæ juvere parentes.

Scribendum videtur:

et *generos* lacrimæ juvere *paventes*.

Paventes lacrimas dicit, ut 1, 538 *verentes oculos*.

v. 316.

Tunc quos excedens hilares, quis cultus iniqui
Præcipuus ducis et profugo quos ipse notarat

Ingemuisse sibi, per noctem ac luce sub omni
Digerit.

Satis incommode atque adeo intolerabiliter relativa illa enuntiatio *quis — ducis* ita inter duas ejusdem generis enuntiationes interponitur, ut non ex æquo cum illis conjungatur, sed priori tantum membro explicationis vice adhæreat. Quare vix dubito, quin a Statio ita fuerit scriptum:

Tunc quos excedens hilares, *quia* cultus iniqui
Præcipuus ducis, et profugo quos ipse notarat cett.

v. 670.

Jam sublata manus cassos defertur in ictus
Tardatique gradus, clipeum nec sustinet umbo
Mutatum spoliis.

Neque hostilia tela clipeo excepta recte *spolia* dicuntur neque *umboni* ullus hic locus est: qui sive clipei pars est, non is clipeum, sed eum potius clipeus sustinet, sive hominis, propellimus umbone et removemus et pungimus, gestare autem vel sustinere umbone non possumus. Nihil igitur proficiunt, qui his duobus vocabulis retentis in id quod est *mutatum* omnes conatus suos dirigunt. Immo id ipsum verum esse judico, cetera autem in hunc modum corrigenda:

clipeum nec sustinet *umbra*
Mutatum *toties.*

Sententiam autem horum verborum optime illustrat hic Vergilii locus:

Ter secum Troius heros
Immanem ærato circumfert tegmine silvam.
Inde ubi tot traxisse moras, tot spicula tædet
Vellere cett. (Æn. X, 886)

Quam igitur *silvam* telorum Vergilius, ipse alio loco (Th. VIII, 706) illum aperte imitans *ferratum nemus*, eam hic *umbram* solito hujus vocabuli usu appellat. Ea autem umbra totius mutatur, quotiens spicula illa evelluntur.

v. 606.

sæpe aspera passum
Vulnera, sed nullum vitæ in secreta receptum,
Nec mortem sperare valet. Rotat ipse furentem
Deilochum cett.

Scribendum opinor:

sed nullum vitæ in secreta receptum.
Nec mortem sperare *vacat*. Rotat *ecce* furentem
Deilochum.

Etiamsi letale vulnus accepisset, tamen hostibus mortem ejus sperare non vacasset. Tanto impetu modo hunc modo illum rapiebat.

Lib. III, v. 99.

Tu tamen egregius fati mentisque nec umquam
Indignum passure situm, qui comminus ausus
Vadere contemptum regis cett.

Alii *regem* scribunt et *contemptum* pro supino verbi accipiunt. Quamquam *vadere contemptum* quin latine dici non possit pro eo quod est *contemnere*, vix dubium est. Quod vero proposuit Madvigius *vadere contemptim regi*, id propterea minus probandum videtur, quod duo adverbia, ut hic *comminus* et *contemptim*, ad unum idemque verbum relata a poeticæ dictionis indole abhorrent. Accedit quod *comminus vadere*, si non semper, at plerumque in eo usurpatur, qui vi et ferro adgreditur ob eamque causam in Mæonis facto minus proprie dicitur. Propono:

qui comminus ausus
Fundere contemptum regis.

Hoc enim ipsum erat illud egregium Mæonis facinus, quod contemptum regis coram et aperte promere ausus erat.

v. 706.

Et nunc *mæsta* quidem grave et inlætabile munus,
Ut timeam doleamque, rogo. Sed quum oscula rumpet
Mæsta dies, quum rauca dabunt abeuntibus armis
Signa tubæ sævoque genas fulgebitis auro
Hei mihi, care parens iterum fortasse rogabo.

Pro priore illo *mæsta* necessario *multa* scribendum, ne pereat illa oppositio, quam posteriore *mæsta* poeta quæsivit.

Lib. IV, 158.

Dat Nemee comites et quas in proelia vires
Sacra Cleonæi cogunt vineta Molorchi.

Cleonæi Molorchi vineta quum nihil aliud significare possint nisi ipsas Cleonas, primum in hoc loco mirandum videtur, qua ratione, quas vires Cleonæ miserint, eas non ipsæ, sed Nemea dare dicatur. Quæ una explicatio est Cleonas Nemeensis regionis partem Nemeensiumque imperio subjectas fuisse, ea certe non confirmatur iis, quæ de his locis comperta habemus, sed magis refellitur. Deinde *comites et vires:* in quo *et* particulam sive pro *etiam* accipias, nulla in superioribus aliarum Nemeensis populi copiarum mentio facta est, ad quas hæ tamquam novæ accessisse dicantur, sive addendi vi, non copulandi usurpatam putamus, ut recta sententia oriatur, necessario audiendum erit, quod audiri non potest: "dat Nemee *suas incolas* comites et" cett. Quæ quum ita sint, verba *et quas* sincera esse non possunt. Quid autem substituendum sit, incertum habeo; haud absone tamen vel *æquasque* vel *cunctasque* reponas.

v. 192.

Hoc aurum vati fata exitiale monebant
Argolico: scit et ipse nefas, sed perfida conjux
Dona viro mutare velit, spoliisque potentis
Imminet Argiæ raptoque excellere cultu.

Scribendum est:

Scit et *ipsa* nefas,

ut habet unus Beh. codex, cujus hic auctoritatem injuria spreverunt editores. Nam Amphiaraum et ipsum, quæ sibi ex auro illo pestis immineret, cognitum habuisse nihil attinebat dicere, quum id superiore jam versu satis declaratum esset. Contra Eriphylen scivisse neque antea dictum erat et jam necessario dicendum: aut, quomodo dona viro mutasse diceretur, nemo intelligeret.

v. 352.

Dejecti trepidas sine mente, sine ira
Promisere manus.

Pro eo quod est *trepidas* "tepidas" malim. Trepidas enim manus vel timidam operam vel festinantem et sedulam intelligi licet: altero verbo segnis et ignava sine ulla ambiguitate significatur. Ceterum *promisere* neque idem quod *protenderunt* neque quod *polliciti sunt* valet, sed idem est ac si dixisset: "dejecti lentæ tantum et frigidæ operæ spem vel exspectationem fecerunt."

v. 360.

Tamen et Boeotis urbibus ultrix
Adspirat ferri rabies, nec regis iniqui
Subsidio, quantum socia pro gente moventur.
Ille velut pecoris lupus expugnator opimi
Pectora tabenti sanie gravis hirtaque setis
Ora cruentata deformis hiantia lana
Decedit stabulis, huc illuc turbida versans
Lumina, si duri comperta clade sequantur
Pastores magnique fugit non inscius ausi.

Faciles sane hic locus vel dicam oscitantes habuit lectores, quorum nemo, quod sciam, pendere plane hoc simile nullaque cum ceteris ratione cohærere viderit. Nam neque in iis, quæ sequuntur, congruens quicquam aut respondens habet neque cum iis, quæ antecedunt, copulari ullo pacto potest: ubi rex, quem unum hæc comparatio spectare possit, nominatur ille quidem, sed non primario sententiæ loco, neque de illo tum maxime agitur, sed de Boeotis urbibus, quæ non tam illius causa, quam Thebanorum consanguineorum suorum bellum parare dicuntur. Statuendum est igitur aut excidisse aliqua vel ante hos versus vel post, quibus alterum illud comparatum contineretur, aut suppositiciam totam comparationem esse: quo quidem multo magis inclino, vel quod antea quoque in hoc carmine ejusdem generis additamentum deprehendisse nobis videmur et omnino tam lectitatum librum tamque frequenter descriptum verisimilius est interpolatum ad nos quam lacunosum venisse: vel quod hoc simile ipsum in Eteoclis factum minime convenit, siquidem lupo ovium cæde madenti vix comparari potest is, qui, quum quinquaginta homines in unum armasset, illum interficere non potuerit, ipse omnes suos amiserit.

v. 409.

Atque ipse sonantia flammis
Virgulta et tristes crepuisse ut sensit acervos
Tiresias — illi nam plurimus ardor anhelat
Ante genas impletque cavos vapor igneus orbes —
Exclamat.

Particula *nam* nullam hic videtur habere rationem. Neque enim ideo strepitum flammæ cæcus audit Tiresias, quod calorem ejus percipit,

sed, quod et hunc et illum sentit, inde ardere rogum intelligit. Opinor sublata parenthesi *illi et jam* scribendum.

v. 641.

Certa est victoria Thebis,
Ne trepida! nec regna ferox germanus habebit.
Sed furiæ geminumque nefas miserosque per enses,
Hei mihi, crudelis vincet pater.

In hac sententia: *vincent Thebæ, sed furiæ geminumque nefas vincet* offendor languida quadam et inani obscuritate, quæ certe ambagibus vaticiniorum propriis defendi non potest. Qui sunt enim illi, quos Furiæ et pater vincet? Scilicet fratres intelliguntur, qui tamen non minus erant nominandi, quam Argivi, quam Thebani. Optime omnia sese habebunt, si ita scribemus, mutatione non illa quidem minima, fidem tamen non excedente:

Hos terræ monstra deumque
Tela manent pulchrique obitus et ab igne supremo
Sontes lege moræ — certa est victoria Thebis,
Ne trepida! nec regna ferox germanus habebit —
Vos furiæ geminumque nefas miserosque per enses
Hei mihi! crudelis *victor* pater.

ut extrema quoque sententia verbo *manent* nitatur.

v. 713.

Et numquam in ripis audax Erasinus et æquus
Fluctibus Asterion.

Æquus fluctibus quid sit, nemo facile dixerit. Scribendum est *æquor* similiter dictum atque *æquoreo* Theb. IX, 462. Idem igitur de Asterione prædicatur, quod de Erasino, audaci flumine et numquam se ripis continente. Atque hanc loci sententiam esse jam Gronovius vidit; quod ex vulgata eam extundi posse putavit, falsus fuit.

v. 741.

Illi quamvis et ab ubere Opheltes
Non suus, Inachii proles infausta Lycurgi,
Dependet, neglecta comam nec dives amictu,
Regales tamen ore notæ,

Intolerabiliter hiat oratio, verbis *neglecta — amictu* nulla copula cum prioribus connexis. Necessario igitur admittenda lectio codicum nonnullorum *nec læta* ac fortasse etiam pro *comam* "comam est" scribendum.

v. 759.

Tu refugas vires et pectora bello
Exanimata reple.

Defendi fortasse potest vulgata scriptura vel ita, ut *bello* cum *reple* conjungamus, bellum autem pro militari robore vel viribus ad bellum sustinendum idoneis dictum putemus, vel sic, ut *bello* pro casu dativo habeamus, ut sit "ad bellum", "ut bellum tolerare possimus". In utraque ratione offendit tamen *bello* ita collocatum, ut etiam *exanimata bello* struere possis. Quamobrem paullum abest, quin ita a Statio scriptum esse contendam:

Tu refugas vires et pectora bello
Exanimanda reple.

I. e. "refice pectora, quæ bello, non hac ignava morte exanimari debent."

v. 841.

Tu pace mihi, tu nube sub ipsa
Armorum festasque super celebrabere mensas;
Ab Jove primus honos, bellis modo cett.

Parum recte in extremo versu *tibi* pronomen vel *tuus* omittitur, quoniam in pronomine, ut modo *tu* bis repetitum ostendit, vel maxime nititur sententia. Tolletur hoc vitium et simul figuratior erit dictio, ita interpunctione mutata:

festasque super celebrabere mensas,
Ab Jove primus honos, bellis cett.

Primus ab Jove honos Langia dicitur eodem modo quo, ut unum exemplum e multis ponam, et apud Vergilium et Statium *prima palma* appellatur, qui primam palmam acceperit aut accepturus sit.

Lib. V, v. 20.

At tamen o, quæcunque es, ait, cui gloria tanta
Venimus innumeræ fatum debere cohortes,

Quem non ipse deum sator aspernetur honorem,
Dic age cett.

Neque *fatum debere* pro eo quod est *vitam debere* latinus quisquam dixit, neque recte se illud *venimus debere* habet, quoniam, quæ in ejusmodi structura semper inest voluntatis aut consilii significatio, ea hujus loci sententiæ prorsus repugnat. Fortasse scribendum:

At tamen o, quæcunque es, ait, cui gloria tanta
Venimus, innumeræ *et fantur* debere cohortes,
Quem non ipse cett.

v. 400.

Attonito manifestus in agmine supra est
Amphitryoniades.

Pro *attonito*, in quo jure offendit Gronovius, quum inane hoc loco hoc epitheton esset — quamquam quod ipse rescribi voluit, *attonitæ* cum præcedenti *cernimus* (v. 398) jungendum, callenti Statianam compositionem probari non potest — Statius sine dubio scripsit *at cuncto.*

v. 454.

Cineres furiasque meorum
Testor, ut externas non sponte aut crimine tædas
Attigerim: scit cura deum, etsi blandus Iason
Virginibus dare vincla novis: sua jura cruentum
Phasin habent, alios, Colchi, generatis amores.

Non modo ob languidam et arcessitam dictionem *scit cura deum,* sed etiam quod cinerum furiarumque obtestationi moleste nova hæc deorum superadditur, ita potius a poeta relictum arbitror:

Sit cura deum, *sit* blandus Iason
Virginibus dare vincla novis, cett.

v. 488.

Fremit inpia plebes
Sontibus accensæ stimulis facinusque reposcit.
Quin etiam occultæ vulgo increbrescere voces:
"Solane fida suis, nos autem in funera lætæ?
Non deus hoc fatumque quod imperat urbe nefanda."

Talibus exanimis dictis — et triste propinquat
Supplicium, nec regna juvant — cett.

Versus 490—92 sinc dubio spurii sunt. Nam et illud *quin etiam* prorsus alienum hoc loco, ubi nihil ad majus augetur: neque enim *occultæ vulgo increbrescere voces* fortius est quam, quod præcedit, *fremit impia plebes*, et ea ipsa, quæ dici finguntur, pæne languida videntur præ brevi illa sententia *facinus reposcit.* Tum obscurissimum illud *in funera lætæ*, et abrupta oratio extremi versus an omnino continuari possit, vehementer dubium. Neque enim *sinat* vel tale aliquid audiri potest, siquidem ne dei quidem facta infecta reddere valent. Apparet interpolandi causam fuisse, ne poeta, si nullas singulas incitatæ plebis voces præmisisset, perperam illud *talibus dictis* posuisse videretur. At *talia dicta* sunt dicta, qualia ita animatam turbam fundere consentaneum erat. Et secutus est in hoc quoque Vergilium, qui XII libro Æneidos, descripto rerum statu et opinionibus vulgi expositis, nullis vocibus prolatis, ita narrationem continuat:

Quem simul ac Juturna soror crebrescere vidit
Sermonem cett. (v. 222)

v. 681.

Ille refert. "Equidem non vos ad moenia Thebes
Rebar et hostiles huc advenisse catervas."

Varias hujus loci interpretationes, quarum nulla non verbis vim adfert, enumerare et redarguere nihil attinet. Una littera mutata et recta et aperta sententia orietur:

Ille refert. "Equidem non vos ad moenia, *Theben*
Rebar et hostiles huc advenisse catervas.

Scilicet librarius, quum non intelligeret *nostra moenia* dici, ad moenia definienda genitivo casu *Thebes* scripsit.

v. 725.

Ut vero et vultus et signa Argoa relictis
Ensibus atque humeris amborum intextus Iason,
Cesserunt luctus cett.

Durissima hæc et prorsus inaudita ellipsis, si *in conspectum venit* vel tale aliquid audiendum est. Scribendum videtur:

Ut vero *ad* vultus et signa Argoa relictis
Ensibus cett.

I. e. ut ad vultus aliæ quoque res, quibus agnosceret filios, accesserunt, signa ensibus impressa et vestimenta imaginem patris intextam habentia. Accedendi notio ex præpositione facile suppletur.

Lib. VI, 76.

Jam tunc et nota stabulis de gente probatos
In nomen pascebat equos cinctusque sonantes
Armaque majores expectatura lacertos.
Spes avidæ quas non in nomen credula vestes
Urgebat studio cultusque insignia regni
Purpureos sceptrumque minus? Cuncta ignibus atris
Damnat atrox suaque ipse parens gestamina ferri,
Si damnis rabidum queat exsaturare dolorem.

Versus 79—83, quod et in duobus codicibus absunt et a scholiasta prætereuntur, tamquam interpolatos uncis includit O. Müellerus. Cujus argumenta quam vim habeant, quum prolegomena ejus nondum viderim, judicare non possum. Illud dubito, an cum verbo *pascebat*, ut *equos*, sic nomina *cinctus* et *arma* conjungi non possint nisi per zeugma tam inauditum ac præceps, ut etiam Statii insignem in hoc genere audaciam excedere videri debeat. Neque enim *pasci* i. e. nutriri et ali res inanimæ dicuntur, nisi quæ crescendi dumtaxat augendique facultate ad animantium similitudinem accedunt. Quare subsistere in his nominibus orationem non puto quærendumque aptum, unde pendeant, verbum in iis, qui proximi traditi sunt, versibus: qui præter 79, quem maxime suspectum facit repetitum illud *in nomen*, omnes, sive rem sive orationem intuemur, satis bene se habent. Totum locum ita recte constitui posse arbitror:

Jam tunc et nota stabulis de gente probatos
In nomen pascebat equos cinctusque sonantes
Armaque majores expectatura lacertos
[Spes *avidi*, *quam* non in nomen credula *gestis!*]
Urgebat studio cultusque insignia regni
Purpureos sceptrumque minus. Cuncta ignibus atris
Damnat atrox suaque ipse *parat* gestamina ferri,
Si damnis rabidum queat exsaturare dolorem.

Spes avidi jam Gronovius conjecit.

v. 242.

Mirum opus accelerasse manus: stat saxea moles,
Templum ingens, cineri.

In prima sententia nullus inest sensus. Suspicor:

Mirum opus *ac celebranda* manus, stat saxea moles cett.

v. 340.

Ecce et Iasonidæ juvenes nova gloria matris
Hypsipyles subiere jugo, quo vectus uterque,
Nomen avo gentile Thoas atque omine dictus
Euneos.

Ita enim distinguendum est. Vulgo in voce *uterque* consistere sententiam volunt, ut, quum ita procedere oratio deberet: "illi Thoanti nomen, huic Euneo", abrupte et frigide non hominibus nomina, sed nominibus origo sua ac causa reddatur.

v. 358.

Orsa deum — nam sæpe Jovem Phlegramque suique
Anguis opus fratrumque pius cantarat honores —
Tunc aperit, quis fulmen agat, quis sidera ducat
Spiritus cett.

Prave *orsa* i. e. actiones *deorum* Jovis, Apollinis fratrumque ejus operibus opponuntur, tamquam contraria ac non in eodem genere sint, neque *orsa deum* recte hæc appellantur, quæ Apollo de rerum natura causisque naturalibus canit, in quibus deorum nulla omnino est mentio. Immo hæc est partitio carminum: antea deos Apollo celebraverat, tunc rerum naturas canebat. Scribendum, opinor:

Orsa deum *et jam* sæpe Jovem Phlegramque suique
Anguis opus fratrumque pius cantarat honores:
Tunc aperit cett.

v. 495.

Anguicomam monstri effigiem, sævissima visu
Ora movet, sive ille Erebo, seu finxit in astu
Temporis, innumera certe formidine cultum
Tollit ad astra nefas.

In vulgata scriptura, ut aliquam omnino sententiam obtineamus, sequenda sine dubio Muelleri interpunctio est, ut post *ora*, non post *movet*, comma ponatur, et verba in hunc modum: "sive ille Erebo movet" struantur. Negari tamen non potest molestissimam hanc esse verbi trajectionem neque eo, quod attulit vir doctus, exemplo satis defendi, quod hic versus ipsius modulatione pæne cogimur ante *sive*, non ante *movet* subsistere. Equidem ut scripturam, non interpunctionem vulgatam laborare arbitror, ita emendationem omnibus numeris probabilem invenire non potui. Temptavi tamen in hunc modum:

Ora movet, sive *illa Erebus* seu finx*erat æstus*
Telchinum, innumera certe cett.

Lib. VII. v. 81.

Nec longa moratus,
Sicut anhelabant, juncto sudore volantes
Mars impellit equos residesque in proelia Grajos
Ipse etiam indignans.

Scribendum esse apparet:

Mars impellit equos, *resides* in proelia Grajos
Ipse etiam indignans.

Nam illud *que*, quod post *resides* codices addunt, excepto Regio B., qui *residens* exhibet, nihil aliud nisi disturbat orationem.

v. 134.

Ter concussit equos (Mars), clipeum ter pectore plausit,
"Arma, arma, insani": sua quisque ignotaque nullo
More rapit cett.

Ridicule hic omnes, quos adii, editores citationis, quæ vocantur, signa verbis *arma — insani* apposuerunt, quasi Mars, quos ad pugnam instigabat, insanorum nomine vocaverit aut ex clipeo pectori colliso existere hæ voces potuerint. Poterat ferri: "*arma, arma*", *insani*, ut intelligeretur *clamant:* melius nulla omnino alienæ orationis significatione cum eo quod sequitur *rapit* hæc verba conjunguntur.

v. 179.

Quo sacra tamen ritusque peremptæ
Gentis? Et in tumulos, si quid male foeta reliquit
Mater, abire jubes?

Sic omnes ediderunt mira neglegentia. Quid est enim hoc: *jubes in tumulos abire, si quid mater reliquit?* Utrum Semelæ cinerem an Bacchum ipsum in tumulos abire juberet Juppiter? Meræ ineptiæ. Interpungendum est:

Quo sacra tamen ritusque peremptæ
Gentis et, in tumulos si quid male foeta reliquit
Mater, abire jubes?

"Quo sacra religionesque et si quid ex matre fulmine tuo combusta, quod tumulo inferri posset, rclictum est, abire jubes?"

Lib. VIII, 150.

Stupet hæc et credere Adrastus
Cunctatur: sed Mopsus idem trepidusque ferebat
Actor idem; nam fama novis terroribus audax
Non unum cecidisse refert.

Quum Mopsus et Actor idem quod primus nuntius narrent, hic vero unum Amphiaraum occubuisse retulerit, *nam* particula plane aliena est et *jam* scribendum.

v. 267.

Sic ubi per fluctus uno ratis obruta somno
Conticuit tantique maris secura juventus
Mandavere animas cett.

Certi alicujus maris nulla in prioribus mentio facta est, ut hic magnitudo ejus intelligi possit. Certum habeo a Statio in hunc modum relictum:

tantique *mali* secura juventus cett.

Scilicet, quantum mare est.

v. 552.

Cupit ille tamen, pugnasque virosque
Forsitan ut caneret: longa jacet ipse canendus
Laude, sed amissum mutæ flevere sorores.

In hac interpunctione vox *caneret*, quæ præcipua vi efferri debebat, iis, quæ antecedunt, *pugnasque virosque* obscuratur et obruitur. Mutanda igitur ita:

Cupit ille tamen pugnasque virosque,
Forsitan ut caneret: longa jacet ipse canendus cett.

v. 555.

Pactus Agenoream primis Atys ibat ab annis
Ismenen, Tyrii juvenis non advena belli,
Quamvis Cyrrha domus, soceros nec tristibus actis
Adversatus erat, sponsam, cui castus amanti
Squalor et indigni commendat gratia luctus.

Hic locus ita interpungi et scribi debet:

Pactus Agenoream primis Atys ibat ab annis
Ismenen, Tyrii juvenis *nunc* advena belli,
Quamvis Cyrrha domus, soceros nec tristibus actis
Aversatus erat: sponsam cui castus amanti
Squalor et indigni commendat gratia luctus.

Tyrii belli *non advena* Atys dici non potest nisi longe arcessita et contorta ratione, quasi a bello Thebano non alienus propter affinitatem Labdacidarum. Contra si *nunc* scribitur, et voci *advena* sua et usitata significatio redditur et *juvenis* nomen, in priore interpretatione satis otiosum, *primis annis* apte respondet. Pro *adversatus* quin recte *aversatus* reponatur, jam nemo dubitabit. Nexus autem sententiarum hic est: "Venerat in bellum Thebanum Atys, quamquam Cyrrhæ domicilium habebat; neque enim soceros in rebus adflictis deseruerat; atque etiam acrius exarserat in sponsam ipsius luctus gratia commendatam."

v. 589.

Neque enim has Marti aut tibi, bellica Pallas,
Exuvias figemus, ait, procul arceat ipsum
Ferre pudor: vix si cett.

Moleste hic abest copula, qua id, quod de se ipse prædicat Tydeus, iis, quæ antecedunt, conjungatur. In cod. Regio B. *habeat* legitur. Unde suspicor ita scriptum fuisse:

Neque enim has Marti aut tibi, bellica Pallas,
Exuvias figemus, ait: procul *absit! et* ipsum
Ferre pudor.

Lib. IX, v. 125.

Imbellem non sic amplexa juvencum
Infestante lupo, quum primum foeta tuetur
Mater et ancipiti circumfert cornua gyro.

Impedita nunc atque etiam ambigua oratio, quoniam æque bene vel *primum foeta* vel *primum tuetur* conjungi potest, sic aperte et æquabiliter decurret:

Imbellem non sic amplexa juvencum
Infestante lupo, *quæ* primum foeta, tuetur
Mater et cett.

v. 345.

Opposuit cumulo se densior amnis
Tardavitque manum, vulnus tamen illa retentum
Pertulit atque animæ tota in penetralia sedit.

Manus hastam jacientis quomodo in animæ penetralia sedisse dicatur, equidem non intelligo. Scribendum puto vel ita:

Tardavitque *trabem*

vel in hunc modum:

Tardavitque manum; vulnus tamen *hasta* retentum cett.

v. 418.

Stetit arduus alto
Amne manuque genas et nexa virentibus ulvis
Cornua concutiens, sic turbidus ore profundo
Incipit.

Mirus hic ac prorsus ridiculus habitus Ismeni, manu genas et cornua concutientis; ac genas quidem quomodo *concutere* possit — neque enim *percutere* dicitur — cogitatione effingere vix possum. Necessario corrigendum:

Stetit arduus alto
Amne *madensque* genas et nexa virentibus ulvis
Cornua concutiens, sic cett.

Nam capitis quassatio doloris et iræ indicium est.

v. 621. In hoc versu post *poposcit* non, ut vulgo, maxima distinctio, sed media ponenda. Neque enim hic periodus absolvitur, sed protasis tantum, quæ a versu 612 incepta deinde liberiore quidem sententiarum connexu huc usque protenditur.

v. 838.

Contra premit hinc Mavortia cuspis,

Hinc plenæ tibi, parve, colus, Jovis inde severi
Vultus, abit solo post hæc devicta pudore.

Si "post hæc devicta" i. e. post et Martis minas et fatorum legem et Jovis voluntatem contemptam pudore solo commota Diana abit, quis tandem ille pudor erat aut cujus eam vel rei vel personæ puduit? Sin autem ita verba conjungimus — potest enim utrumque estque ex hujus loci vitiis unum hæc ipsa ambiguitas — *post hæc solo pudore devicta abit,* tamen pro eo quod est *post hæc,* ut Jovem verita discessisse intelligeretur, *tum* saltem scribi debuit. Una littera mutata recte omnia sese habebunt:

Contra premit hinc Mavortia cuspis,
Hinc plenæ tibi, parve, colus; Jovis inde severi
Vultus *agit* solo post hæc devicta pudore.

Lib. X, 581.

Hi reddere fratrem
Nec mussant, sed voce palam claroque tumultu
Reddere regna jubent.

Apparet pro *fratrem* "fratri" scribendum.

v. 624.

Mox plenum Phoebo vatem et celerare jubentem
Nunc humilis genua amplectens, nunc ora canentis
Nequicquam reticere rogat: jam fama sacratam
Vocem amplexa volat, clamantque oracula Thebæ.

Prave tamquam ejusdem divisionis membra ea inter sese opponuntur, quorum alterum subjecti rationem agendi definit (*humilis genua amplectens*), alterum (*ora canentis*) objecti vice fungitur. Prave etiam hoc ipsum objectum post illud *vatem* inducitur. Permutata inter sese versuum extrema videntur et totus locus ita corrigendus:

Mox plenum Phoebo vatem et *celanda canentem*
Nunc humilis genua amplectens, nunc *ore jubentis*
Nequicquam reticere rogat.

v. 632.

Diva Jovis solio juxta comes, unde per orbem
Rara dari terrisque solet contingere, virtus.

Interpungendum est ita:

Diva Jovis solio juxta comes, unde per orbem
Rara dari terrisque solet contingere, Virtus.

Diva enim quæ solio Jovis adstat, Virtus ipsa est.

v. 702.

Illius hæc forsan remur, quæ verba deorum
Ille monet.

Sic editores verba distinguunt nulla sententia. Mutata interpunctione omnia expedita erunt:

Illius hæc forsan, remur quæ verba deorum:
Ille monet.

"Quæ nos verba deorum putamus, hæc illius forsitan sint, (ab illo Tiresiæ dictata) ille tantum monet." Creon regem in suspicionem vocat, tamquam ad illius voluntatem, non divino instinctu Tiresias cecinerit.

Lib. XI, v. 57.

Jamque potens scelerum geminæque exercita gentis
Sanguine Tisiphone fraterna cludere quærit
Bella tuba.

Aptum sententiæ ac plane Statianum esset:

fraterno cludere quærit
Bella *rogo.*

Nam rogo demum, non morte, quoniam in rogo quoque dissidia fratrum durarunt, conclusum domesticum bellum est.

v. 157.

Tunc tempus erat, quum sanguis Achivum
Integer, ire ultro primamque capessere pugnam,
Non plebis Danaæ florem regumque verendas
Objectare animas, ut lamentabile tantis
Urbibus induerem capiti decus; aspera quando
Præcepit virtus; nunc saltem exsolvere fas sit,
Quæ merui.

In hac Polynicis querela verba *aspera — virtus* vera esse non posse argumentis evincere opus non est. Fortasse ita scribendum:

Hospita cuncta
Præcepit virtus.

Hoc est: ubique me hospitum virtus antevenit omnesque sanguinis profundendi occasiones præripuit. Vel ita et melius hoc erit, opinor:

Hospita laudem
Præcepit virtus: nunc saltem exsolvere fas sit,
Quæ merui.

v. 338.

Me miseram, vinces. Prius hæc tamen arma necesse est
Experiare domi.

Uter utrum victurus esset, mater scire non poterat. Melius "Vincis!" exclamat, quum filium contemptis precibus suis seque ipsa remota in campum pergentem videt.

v. 642.

Illius exili stridentem in pectore plagam
Ismene collapsa super lacrimisque comisque
Siccabat plangens: qualis Marathonide silva
Flebilis Erigone cæsi prope funera patris
Questibus absumptis tristem jam solvere nodum
Coeperat et fortes ramos moritura legebat.

Non recte Ismenæ adhuc plangenti Erigone consumptis quæstibus comparatur, neque solvere nodum suspendium parans, sed nectere dicitur. Scribi debet:

qualis Marathonide silva
Flebilis Erigone cæsi prope funera patris:
Questibus absumptis tristem jam *volvere* nodum
Coeperat et fortes ramos moritura legebat.

Extremi versus adduntur, ut, quanti questus ejus fuerint, ex facinore absumptis questibus perpetrato intelligatur. *Volvere nodum* scil. animo.

XII, v. 86—87 ita distinguendi:

Et nunc Œdipodi par est fortuna doloris
Ac mihi? Quam similes gemimus, bone Juppiter, umbras!

v. 378.

Junge, age, junge fidem, proles ego regis Adrasti,
Hei mihi, numquis adest? — cari Polynicis ad ignes,
Etsi regna vetant.

Sic vulgo editores et volunt audiri *veni*, quod num ita omitti possit, satis dubium videtur. Mihi probabilius est ita poetam scripsisse;

proles ego regis Adrasti —
Hei mihi! numquis adest? — cari Polynicis *et* ignes,
Etsi regna vetant.

v. 661.

Noctem adeo placidasque operi junxere tenebras
Certamenque immane viris, quo concita tendant
Agmina, quis visas proclamet ab aggere Thebas,
Cujus in Ogygio stet princeps lancea muro.

Non quo, sed quam celeriter tenderent agmina, certamen erat. Scripserat poeta:

Certamenque immane viris, *cui* concita tendant cett.

i. e. cui concitatissima tenderent agmina vel qui milites suos celerrimo agmine duceret. Suppressa superlativi gradus significatio, ut et alias sæpe apud nostrum et in ea ipsa, quæ sequitur, enuntiatione ("quis — proclamet"), ubi *primus* necessario audiendum est.

v. 715.

Hunc saltem miseris ductor Thebanus honorem
Largitur Danais, quod non super ipsa jacentum
Corpora belligeras acies Martemque secundum
Miscuit: at lacera ne quid de strage nefandus
Perderet, eligitur sævos potura cruores
Terra rudis.

Quoniam Eteocles, quod super Danaorum corpora institutam pugnam noluit, in eo honorem iis habuit, non ea simul poterat esse causa, *ne quid de strage infandus perderet.* Apparet duas diversas et contrarias causas induci; quarum utra Eteoclen moverit, poeta ipse dubitare se dicit. Scribendum igitur:

An lacera — — — — — —
Terra rudis?

Ceterum Guyeto verba *at — perderet* expellenti non valde restiterim: quamquam interpolatorem ipsum non *at*, sed *an* scripsisse confirmem.

v. 755—58 ita interpungendi:

Hortantem dictis frustraque extrema minantem
Conspicit; abscedunt comites: et Thesea jussi

Linquebant fretique deis atque ipsius armis,
Ille tenet revocatque suos.

v. 694.

Armari populos tamen armaque ferri
Ipse jubet pallens.

Vitiosum est *ipse*, pro quo *ipsi* vel *sua ipsius* debebat esse, ut inter populos et regem recta oppositio fieret. Facilis et certa emendatio est:

Armari *populus* tamen armaque ferri
Ipse jubet pallens.



I **Upsala Universitets Årsskrift** har förut utkommit:

Alexandersson, A., Septem Aeschyleam Suethicis versibus expressit et commentario illustravit. *2: 15.*

——, Öfversigt af Prometheusmythen, dess Utveckling och Betydelse inom den Äldre Grekiska Litteraturen. *60 öre.*

——, Den Grekiska Metrikens senaste Utvecklingsperiod. *50 öre.*

Almkvist, H., Ibn Batûtahs Resa genom Magrib. *2 kr.*

——, Den Semitiska Språkstammens Pronomen. *2: 25.*

Brolén, C. A., De Elocutione A. Cornelii Celsi. *70 öre.*

Centervall, J., Spartiani Vita Hadriani commentario illustrata. I. *1: 25.*

Fahlcrantz, C. A., Bacchæ, Fabula Stagneliana. *50 öre.*

Häggström, F. W., Excerpta Liviana. *1: 25.*

Johansson, J., De Choëphoris Aeschyli et Electris Sophoclis atque Euripidis inter se comparatis dissertatio. *2: 25.*

Knös, O. W., De Digammo Homerico quæstiones. I—II. *3: 25.*

Lagergren, J. P., De Vita et Elocutione C. Plinii Cæcilii Secundi. *2: 50.*

Ljungdahl, S., De Transeundi Generibus quibus utitur Isocrates commentatio. *1 kr.*

Nordling, J. T., Granskning af prof. C. J. Tornbergs Korânöfversättning. *1 kr.*

Röding, R., De Græcorum Trimetris Iambicis cæsura penthemimeri et hepthemimeri carentibus Commentatio. *75 öre.*

——, Fabulas Euripideas, quæ insunt in Codice Parisino 2712. *25 öre.*

Sandström, C. E., De L. Annæi Senecæ Tragoediis commentatio. *1: 50.*

Seligmann, J, Procemium et specimen lexici synonymici arabici Atthaʿâlibii edidit, vertit, notis instruxit. *80 öre.*

Walberg, C. A., De confusione Pronominum tertiæ personæ Græcorum. *30 öre.*

Östling, N., De Elocutione C. Sallustii Crispi commentatio. *1 kr.*

Pris 1: 25.